
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

RHINTHONIS FRAGMENTA.

SCRIPSIT

(Otto)

D^R. ERICUS VÖLKER.




LEIPZIG

GUSTAV FOCK

1887.

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

PIETATIS ERGO.



14.

Caput I.

De comoedia Rhinthonica.

Fabulam Rhinthonicam a Rhinthone[1]) nomen duxisse, omnium consensu constat. Fuisse autem Tarentinum Rhinthonem plerique qui eius mentionem faciunt scriptores veteres testantur.

Steph. Byz. s. v. *Τάρας· ὁ πολίτης Ταραντῖνος· . . . . . καὶ Ρίνθων Ταραντῖνος κτλ.*

Eustath. ad Dion. Perieg. v. 376 *ὅθεν Ἴκκος ἦν ὁ Ταραντῖνος ἰατρὸς . . . . . ἐκεῖθεν δὲ καὶ Ῥίνθων ἦν κτλ.* Hesychius s. v. *ἄσεκτος· ἀγαθός· παρὰ Ῥίνθωνι Ταραντίνῳ φιλοσόφῳ.*

Ibid. s. v. *Γαλεοί· μάντεις· οὗτοι κατὰ τὴν Σικελίαν ᾤκησαν. καὶ γένος τι ὥς φησι Φανόδημος καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος.* Ibid. s. v. *σάννορος· μωρός· παρὰ Ῥίνθωνι Ταραντίνῳ.* Praeterea Herod. *περὶ μον. λ.* 19, 26 *μήτι οὖν Ταραντῖνοι...... ὥςπερ Ῥίνθων ἐν δούλῳ Μελεάγρῳ κτλ.*, quocum congruit E. M. p. 621, 52 s. v. *ὀλίος· κατὰ διάλεκτον· Ταραντῖνοι...... ἐν δούλῳ Μελεάγρῳ* etsi Rhinthonis nomen non additur. Apoll. Dysc. de pron. p. 364 C. *ἵ ἐμίνη συνήθης Ταραντίνοις· ἡ δὲ χρῆσις παρὰ Ῥίνθωνι.*

Quorum testimonio obstat Nossidis in Anthol. Pal. VII 414 epigramma

Καὶ καπυρὸν γελάσας παραμείβεο καὶ φίλον εἰπὼν
ῥῆμ' ἐπ' ἐμοί· Ῥίνθων εἴμ' ὁ Συρακόσιος,
Μουσάων ὀλίγη τις ἀηδονίς· ἀλλὰ φλυάκων
ἐκ τραγικῶν ἴδιον κίσσον ἐδρεψάμεθα.

---

[1]) De nominis forma testis Georg. Choerob. 77, 27 et 287, 21 (ed. Gaisf.) *Ῥίνθων, Ῥίνθωνος (ὄνομα κύριον).*

Syracusanum enim eum dicit Nossis. Cuius testimonium grave et haud spernendum est; aequalis enim videtur fuisse Rhinthonis, si quidem re vera circa ol. CXIV (324 a. Ch.) viguit Nossis. Rhinthonem autem Ptolemaei primi temporibus (323—285 a. Ch.) viguisse Suidas testatur s. v. *Ῥίνθων· Ταραντῖνος κωμικὸς, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας ὅ ἐστι φλυακογραφία, υἱὸς δὲ ἦν κεραμέως, καὶ γέγονεν ἐπὶ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου (δράματα δὲ αὐτοῦ κωμικὰ τραγικὰ λη′).* Itaque non possumus non confirmare cum Lorentzio (de rebus sacris et artibus veterum Tarentinorum p. 26) cuius sententiam etiam Ernestus Sommerbrodtius (De phlyacographis Graecis diss. in. Vratisl. 1875) amplectitur, Syracusis eum natum esse, postea „Tarentum abiisse, ubi per vitam suam fabulas et composuerit et docuerit, ita ut Tarentini potius nomen quam Syracusani ei vindicandum esse auctores existimaverint." Quod eo veri similius est, quia dialecto Tarentina fabulas condidisse eum et scriptorum testimoniis et ipsis reliquiis constat; qua de re postea plura verba faciam. Favet praeterea sententiae, quam de patria Rhinthonis protuli Lorentzium secutus, illa glossa Sicula, quam Suidas affert a Rhinthone usitatam s. v. *ἀγλευκές· τὸ ἀηδές, δοκεῖ δὲ ξενικὸν τὸ ὄνομα Σικελικόν. πολὺ γοῦν ἐστι πάνυ παρὰ Ῥίνθωνι.* Nam quid facilius potuit fieri, quam ut is, qui Syracusis natus postea Tarentum migravit, reliquias quasdam dialecti patriae retineret?

Pater Rhinthonis erat figulus, ut Suidas s. v. *Ῥίνθων* affert *(cf. p. 18.)*; de vita poetae nihil praeterea memoriae proditum est.

Adeamus eam quaestionem, quam quidem movisse, sed non absolvisse mihi videtur Sommerbrodtius in diss. inaug. p. 46. Laurentius Lydus de magistr. I, 41 Rhinthonem inter Pythagoreos numerat quum dicat: *Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήραν καὶ Βλέσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων κτλ.*

Mihi ea, quae Laur. Lydus tradit ex eodem fonte fluxisse videntur, ex quo fluxerunt ea quae Stephanus Byzantius s. v. *Τάρας* tradit: *ὁ πολίτης Ταραντῖνος. καὶ ἀνεγράφησαν οὕτω πολλοὶ χρηματίζοντες μάλιστα Πυθαγόρειοι καὶ Ἀριστόξενος μουσικὸς Ἀριστοτέλους γνώριμος καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος.* Hoc

ex loco, qui in fonte fortasse erat uberior, Lydus sibi sumpsit vocabulum *Πυθαγόρειος*, verborum sensum prave intellegens; error talis in Lydo non mirus, quippe qui eodem loco eundem Rhinthonem primum hexametris comoediam scripsisse non dubitaverit affirmare.

Sed haec explicatio fortasse non arridet; sed praesto mihi est altera coniectura, quae maiorem veri speciem prae se ferat. Ex Athenaeo (XIV c. 15. 16.) aliter ab aliis appellatos esse *φλύακας* illos, in quorum numero Rhinthonem quoque habendum esse paullo post videbimus: *οἱ δὲ φλύακας* (scil. *αὐτοὺς λέγουσι*) *ὡς Ἰταλοί. σοφιστὰς δὲ οἱ πολλοί.* Non possum non suspicari ex hac *σοφιστῶν* significatione illam philosophorum natam esse, quam apud Hesychium s. v. *ἄσεκτος· ἀγαθός· παρὰ Ῥίνθωνι Ταραντίνῳ φιλοσόφῳ* reperimus; quo loco vocabulum *φιλοσόφῳ* non dubito servare. Ex philosophi significatione facillime dein potuit nasci Pythagorei, quum qui in Magna Graecia philosophiae vel sophistarum arti studebant, plerumque Pythagoreos appellatos esse, complures sunt testes.

Φλύαξ dicitur Rhinthon a Stephano Byzantio s. v. *Τάρας*[2]); quocum Eustathii verba[3]) ita concinunt, praesertim quum ab utroque scriptore eodem loco de Icco quoque, medico quodam Tarentino agatur, ut ea aut e Stephano integriore hausta esse videantur, quae est Bernhardyi sententia, aut ad eundem fontem, haud scio an ad Herodianum, redundare videantur.

---

[2]) Steph. Byz. s. v. *Τάρας· ὁ πολίτης Ταραντῖνος. καὶ ἀνεγράφησαν οὕτω πολλοὶ χρηματίζοντες, μάλιστα Πυθαγόρειοι, καὶ Ἀριστόξενος μουσικὸς Ἀριστοτέλους γνωριμός. καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων ἐς τὸ γελοῖον. φέρονται δ' αὐτοῦ δράματα λη'. [καὶ Ἴκκος Ταραντῖνος ἰατρὸς ἐπὶ τῆς οζ' ὀλυμπιάδος· μέμνηται τούτου καὶ Πλάτων ἐν Πρωταγόρᾳ.]*

[3]) Eustath. ad. Dion. Perieg. ad v. 376. [*ὅθεν Ἴκκος ἦν Ταραντῖνος ὃς ἐπὶ βίου εὐτελείᾳ εἰς παροιμίαν κεῖται τὴν λέγουσαν Ἴκκου δεῖπνον ἐπὶ τῶν ἀπερίττως δειπνούντων*] · *ἐκεῖθεν δὲ καὶ Ῥίνθων ἦν ὁ ἐπικαλούμενος φλύαξ, ἤγουν φλίαρος, ὑποκοριστικῶς, ὡς τὰ τραγικὰ εἰς γέλοια μεταῤῥυθμίζων καὶ παίζων ἐν οὐ παικτοῖς, ἀλλὰ φλυαρῶν ἄντικρυς.*

Nossis in epitaphio ipsum poetam de se facit profitentem *φλυάκων ἐκ τραγικῶν ἴδιον κίσσον ἐδρεψάμεθα.* Phlyacem igitur fuisse Rhinthonem Steph. Byz. et Eustath. testantur, phlyaces eum composuisse notat Nossis; unde duplex huius vocabuli apparet significatio.

Significat autem, ubi in litterarum monumentis apparet, certum aliquod genus vel comicorum artificum vel comicorum poematum ab eiusmodi artificibus compositorum. (Pollux 9, 149 in enumerandis comicis artificibus etiam vocem *φλύαξ* commemorat.) De natura huius generis poetici nihil certi memoriae proditum est; sed licet de ea suspicari.

Sosibium enim secutus Athenaeus (VI, 246)[4]) *φλύακας* ab Italis nominatos esse dicit eosdem, qui a Lacedaemoniis *δικηλισταί*, a Sicyoniis *φαλλοφόροι, αὐτοκάβδαλοι* ab aliis, *σοφισταί* a multis, *ἐθελονταί* a Thebanis dicti sint. Quorum omnium inter se affinitate recte Sommerbrodtius in diss. inaug. primo capite, quae phlyacum in universum natura fuerit concludit. Sed eius ratiocinatio mihi videtur esse examinanda atque in singulis quibusdam et corrigenda et augenda.

Dicelistae mimologi erant, ut Sosibii potissimum auctoritate docemur[5]). Argumenta iis, quibus Epicharmus quoque et Atticorum nova comoedia utebatur, similia, e vita coti-

---

[4]) *τοῦ δὲ εἴδους τῶν δικηλιστῶν πολλαὶ κατὰ τόπους εἰσὶ προςηγορίαι. Σικυώνιοι μὲν γὰρ φαλλοφόρους αὐτοὺς καλοῦσιν, ἄλλοι δ' αὐτοκαβδάλους. οἱ δὲ φλύακας ὡς Ἰταλοί. σοφιστὰς δὲ οἱ πολλοί. Θηβαῖοι δὲ . . . ἐθελοντάς.*

[5]) apud Athen. XIV, 14: *παρὰ δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις κωμικῆς παιδιᾶς ἦν τις τρόπος παλαιός, ὥς φησι Σωσίβιος, οὐκ ἄγαν σπουδαῖος, ἅτε δὴ κἀν τούτοις τὸ λιτὸν τῆς Σπάρτης μεταδιωκούσης. ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν, ἢ ξενικὸν ἰατρὸν τοιαυτὶ λέγοντα, ὡς Ἄλεξις ἐν Μανδραγοριζομένῳ. ἐκαλοῦντο δὲ οἱ μετιόντες τὴν τοιαύτην παιδιὰν παρὰ τοῖς Λάκωσι δικηλισταί, ὡς ἄν τις σκευοποιοὺς εἴπῃ καὶ μιμητάς.*

idem apud Suidam s. v. *δικηλιστῶν καὶ μιμηλῶν εἶδός ἐστι κωμῳδίας ὥς φησι Σωσίβιος ὁ Λάκων.*

Eodem ex fonte fluxerunt sine dubio Eustath. ad Hom. p. 884, 26 *δείκηλον ὅθεν δεικηλισταὶ — κωμικοί* et duae Hesychii glossae s. v. *δίκηλον [φάσμα, ὄψις, εἴδωλον] μίμημα, ὅθεν καὶ ὁ μιμολόγος παρὰ Λάκωσι δικη[ν]λίκτας* et s. v. *δεικηλικταί· μιμηταὶ παρὰ Λάκωσι.*

diana petita humili vulgarique usi sermone ante spectatorum oculos proponebant.

Autocabdali, ithyphalli, phallophori quamquam in universum eidem generi attribuendi sunt, tamen in singulis a dicelistis diversi erant; atque de horum artificum inter se similitudine habemus testem illustrem Semum Delium, qui in libro *περὶ παιάνων* accurate de iis disserit.[6]) Incipiamus ab autocabdalis.

Οἱ αὐτοκάβδαλοι καλούμενοι, ἐστεφανωμένοι κιττῷ σχέδην ἐπέραινον ῥήσεις. ὕστερον δὲ ἴαμβοι ὠνομάσθησαν αὐτοί τε καὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν.[7]) Quod ad explicandum Hesychii glossa *αὐτοκάβδαλα· αὐτοσχέδια ποιήματα. εὐτελῆ* bene usurpatur; *σχέδην* igitur eodem sensu intellegendum, quo vocabulum *αὐτοσχέδιος* i. e. ex tempore. Hoc igitur constat, fuisse artem autocabdalorum cum Bacchi cultu conjunctam — *στέφανος κιττοῦ* ad Bacchi cultum spectat — ex tempore eos verba fecisse, iambis potissimum usos esse, unde postea nomen duxerunt.

Transeamus ad ithyphallos.

Προσωπεῖα μεθυόντων εἶχον καὶ χειρίδας ἀνθινάς, et *γυναικείαν στολήν* quae constabat chitone *μέχρι τῶν σφυρῶν*

---

6) Semi testimonium servatur ab Athenaeo XIV 15—16; Hesychius et Suidas ex eo hauserunt et eum verbotenus exscripserunt.

7) Semus apud Ath. XIV 15; idem apud Suid. s. v. *φαλλοφόροι· καὶ οἱ μὲν* (sc. *αὐτοκάβδαλοι*) *κιττοῦ στέφανον ἐφόρουν*, et s. v. *Σῆμος . . . . . καὶ οἱ μὲν κιττοῦ στέφανον ἐφόρουν. ὠνομάσθησαν δὲ ὕστερον Ἴαμβοι.*

Athen. l. l. *οἱ δὲ ἰθύφαλλοι καλούμενοι προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσιν, καὶ ἐστεφάνωνται, χειρίδας ἀνθινὰς ἔχοντες· χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις καὶ περιέζωνται Ταραντῖνον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν.*

Ταραντινίδιον scribendum esse pro tradito *ταραντῖνον* ex tribus locis parallelis elucet.

Poll. 4, 104. *οἱ δὲ γύπωνες ξυλίνων ποδῶν ἐπιβαίνοντες ὠρχοῦντο διαφανῆ Ταραντινίδια ἀμπεχόμενοι.*

Ibid. 7, 76. *καὶ μὴν τό γε Ταραντινίδιον διαφανές ἐστιν ἔσθημα ὠνομασμένον ἀπὸ τῆς Ταραντίνων χρήσεως καὶ τρυφῆς.*

Suid. s. v. *λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον, οὐ πάντως πορφυροῦν ὥς τινες ὑπέλαβον.*

Hesych. s. v. *Ταραντῖνον* cf. p. 25 s.

(*καὶ περιέζωνται Ταραντινίδιον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν* Semus ap. Ath. l. l.). Praeterea phallum eos gestasse et ipsum nomen declarat et Hesychii Suidae testimonium.

Suid. s. v. *ἰθυφάλλοι· οἱ ἔφοροι* (Photius et Hesychius *ἐπίορκοι*) *Διονύσου καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φάλλῳ — λέγεται δὲ φάλλος ὁτὲ μὲν τὸ ἐντεταμένον αἰδοῖον κτλ.* Hesych. s. v. *ἰθύφαλλοι· οἱ ἐπιόρκοι* (ubi *Διονύσου* supplendum) *καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φάλλῳ — λέγεται δὲ* (sc. *ὁ φάλλος*) *ὁτὲ μὲν τὸ ἐντεταμένον αἰδοῖον. —*

Sem. l. l. *σιγῇ δὲ διὰ τοῦ πυλῶνος εἰςελθόντες ὅταν κατὰ μέσην τὴν ὀρχήστραν γένωνται ἐπιστρέφουσιν εἰς τὸ θέατρον λέγοντες*

ἀνάγετ' εὐρυχωρίαν
ποιεῖτε τῷ θεῷ
ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος
διὰ μέσου βαδίζειν.

Ithyphalli igitur aeque atque autocabdali cum Bacchi cultu coniuncti erant; hoc docent coronae, *μεθυόντων προσωπεῖα,* phallus, hymnus denique in Bacchum; nam *ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος* Bacchus est.[8]) Agebant vero in scaena, quum in chorum consociati orchestram intrarent. Utebantur personis ebriorum.

Nec minus phallophori cum Bacchi cultu cohaerebant; phallum, Bacchi symbolum, eos gestasse ipsum nomen declarat; praeterea *στέφανον δασὺν ἴων καὶ κιττοῦ περιτίθενται;* cantum in Bacchum cantabant:

Σοί, Βάκχε, τάνδε μοῦσαν ἀγλαΐζομεν
καὶ μὰν ἀπαρθένευτον. οὔτε ταῖς πάρος
κεχρήμεθα μὲν ᾠδαῖσιν, ἀλλ' ἀκήρατον
κατάρχομεν τὸν ὕμνον.

[8]) Athen. II, 7. *Φιλόχορός φησιν Ἀμφικτύονα τὸν Ἀθηναίων βασιλέα μαθόντα παρὰ Διονύσου τὴν τοῦ οἴνου κρᾶσιν πρῶτον κεράσαι, διὸ καὶ ὀρθοὺς γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους οὕτω πίνοντας πρότερον ὑπὸ τοῦ ἀκράτου καμπτομένους. καὶ διὰ τοῦτο ἱδρύσασθαι βωμὸν Ὀρθοῦ Διονύσου ἐν τῷ τῶν Ὡρῶν ἱερῷ. — ἐσφυρωμένος* quod *ἅπαξ εἰρημένον* ab Ithyphallorum similitudine, qui *περιέζωνται Ταραντινίδιον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν,* sic explico: cinctus stola Tarentina quae ad pedis malleolos usque eum tegit.

In scaena agebant; nam in chorum quasi consociati *παρέρχονται οἱ μὲν ἐκ παρόδου, οἱ δὲ κατὰ μέσας τὰς θύρας βαίνοντες ἐν ῥυθμῷ.* (Athen. l. l.) *Προσωπεῖα* illi quidem non habebant, sed simile aliquid: *προβόλιον* (ex conj., cod. *προπόλιον*) *δ' ἐξ ἑρπύλλου*[9]) *περιτιθέμενοι καὶ παιδέρωτας ἐπάνω τούτου ἐπιτίθενται* ut Semus apud Athen. tradit, quocum eiusdem testimonium apud Suidam s. v. *Σῆμος* consentit: *ἐξ ἑρπύλλου καὶ παιδέρωτος ἔσκεπον τὰς ὄψεις,* non consentit apud Suidam s. v. *φαλλοφόροι· οἱ δὲ φ. ἐκ βύβλου δέρματος ἔσκεπον τὰς ὄψεις,* quod sine dubio corruptum est; nam in *δέρματος* nihil aliud inest quam [*παι*]*δέρωτος*.

Ex verbis, quae apud Athenaeum extrema, *εἶτα προτρέχοντες* [Casaubonus emendavit ex *προςτρέχοντες*] *ἐτώθαζον οὓς ἂν προέλοιντο· σχέδην* [cod. *στάδην*][10]) *δὲ ἔπραττον. ὁ δὲ φαλλοφόρος ἰθυμβίζων* [cod. *ἰθὺ βαδίζων*][11]) *καταπλησθεὶς*

---

[9]) Phallophoros *ἕρπυλλον* gestasse non miraberis, si comparabis Athen. XV, 28 *τῆς δὲ ἑρπύλλου φησὶ Θεόφραστος τὴν ἄγριον κομίζοντες ἐκ τῶν ἀγρῶν φυτεύουσιν ἐν Σικυῶνι κτλ.* et nomen phallophororum a Sicyoniis inventum esse memineris sec. Sosibium apud Athen. XIV (621 f.).

[10]) Offendo in tradito *στάδην*: stantes eos egisse non erat res tanti momenti, quantum ei his verbis tribuitur; sensu caret haec enuntiatio, aliam desidero. Nam si ad totum hoc genus poeticum animum advertimus, unum omnibus eiusmodi artificibus fuisse commune nemo non videt, artem dico autoschediam. Autocabdalorum potissimum similitudine hoc docetur, de quibus supra disputavimus. Quae quum ita sint, nostro quoque loco hanc significationem desidero; atque si ea, quae Sosibius l. l. de autocabdalis tradit *σχέδην ἐπέραινον ῥήσεις* cum nostris verbis conferimus, qua opus sit medela, dubium esse non potest. Scribendum est *σχέδην,* quod habet eandem significationem quam *αὐτοσχέδην.* — aptissime inter se opponuntur: novum hymnum cantabant quem data opera didicerant — ex tempore irridebant spectatoribus. — Accedit quod mutatio facillima est.

[11]) Traditur *ἰθὺ βαδίζων,* in quo offendo. nam quum opponatur *ὁ δὲ φαλλοφόρος* ceteris, proprii aliquid eum agere solitum esse necesse est. — Significat autem *ὁ δὲ φαλλοφόρος* sine dubio chori ducem. — sed in enuntiatione *ἰθὶ βαδίζων* proprii nihil inest. Conjecturam proposui *ἰθυμβίζων* a Polluce profectus. Pollux quum de saltationibus agat (IV, 104) unam affert, quae ad notrum locum bene quadrat: *ἦν δέ τινα καὶ Λακωνικὰ ὀρχήματα, διὰ Μαλέας. — — καὶ ἴθυμβοι ἐπὶ*

αἰθάλῳ hoc elucet uni alterive eorum, qui adessent, ex tempore eos irrisisse, chori autem ducem in Bacchi honorem saltasse facie fucata. Vestitu paullulum diversi erant phallophori ab ithyphallis; hi enim chitone manicato utebantur et stola Tarentina, illi *αὔνακας* vel potius *καυνάκας*[12]) induebant, hi *προσωπεῖα* gestabant, abstinebant illi.

De sophistis denique et ethelontis nihil memoriae proditum est.

Dicelistas, autocabdalos, ithyphallos, phallophoros, phlyaces uni eidemque generi artificum adscribendos esse Sosibius docet l. l. Itaque quod dicelistis, autocabdalis, phallophoris commune est, etiam de phlyacibus statuere licet in universum. Quae quum animo comprehendimus, phlyaces quoque mimologos fuisse, qui *εὐτελεῖ τῇ λέξει* i. e. humili vulgarique sermone spectatores ex tempore irridebant, est quod credamus. Ex tempore phlyaces quoque egisse non solum ex

Διονύσῳ κτλ. quocum conferas Hesychium s. v. *ἴθυμβος· γελοιαστής· καὶ τὸ σκῶμμα. ἀπὸ τῶν ἰθύμβων, ἅτινα ποιήματα ἦν ἐπὶ χλεύῃ καὶ γέλωτι συγκείμενα.* (*καὶ ᾠδὴ μακρὰ καὶ ὑπόσκαιος.*) Ithymbus igitur nostrae arti simile aliquid fuisse videtur, *ποίημα ἐπὶ χλεύῃ συγκείμενον*, quod prope accedit ad ea, quae de phlyacibus tradita paullo post tractabimus. Accedit quod ithymbus saltatio Bacchica erat, atque ab eam rem bene ad phallophoros convenit; itaque non dubito *ἰθυμβίζων* inserere (exeunt verba saltandi plerumque in — *ίζω*). Habemus tum saltationem Bacchicam, quam chori dux exequitur; ex hoc re vera aliquid proprii, quo a ceteris phallophoris discrepat. Mutatio est facillima

ΙΘΥΒΑΔΙΖΩΝ
ΙΘΥΜΒΙΖΩΝ

una litera est permutata.

[12]) sine dubio *καυνάκας* legendum est.

Poll. 7, 59 *ἡ που δὲ καὶ καυνάκης Περσῶν, ἐν γὰρ τοῖς Σφηξὶν* (v. 1137) *Ἀριστοφάνης λέγει*

οἱ μὲν καλοῦσι Περσίδ', οἱ δὲ καυνάκην·

ex verbis quae antecedunt quaeque sequuntur *καυνάκην* fuisse stragulum quoddam villosum ex lana textum (non ex corio confectum ut Sommerbrodtius putat) quod *ἐν Ἐκβατάνοισιν ὑφαίνεται*, elucet. tota descriptio hoc postulat. cf. Poll. 6, 11. 10, 123. Atque sententia, quam protuli confirmatur glossa quadam Hesychii s. v. *καυνάκαι· στρώματα, ἢ ἐπιβόλαια ἑτερομαλλῆ.*

similitudine eorum, quos modo enumeravimus, licet concludere, sed etiam luculentum argumentum praesto est ex Pollucis Onomastico. Nam secundum Eustathium (ad Dion. Perieg. v. 376 *φλύαξ ἤγουν φλύαρος*) *φλύαξ* idem significat quod *φλύαρος*. Vocabulum *φλύαρος* Pollux inter vocabula synonyma enumerat, quae *τὸν ἄνευ μελέτης τολμῶντα λέγειν* i. e. eum qui ex tempore verba facit, significant.

Praeterea autem ex autocabdalorum, ithyphallorum, phallophorum similitudine phlyaces quoque cum Bacchi cultu arte cohaesisse iure concludi potest; ad quod bene quadrat Hesychii vocabuli *φλύαξ* explicatio *μέθυσος, μεθυαστής*. Fortasse vocabulum *φλύαξ* ab ipso Bacchi nomine est derivatum; nam apud Georgium Choeroboscum bis (ed. Gaisford) p. 209, 6 *Φλεὺς ὁ Διόνυσος* et III p. 707 *Φλεὺς ὁ Διόνυσος* invenimus. Itaque quin phlyaces quoque phallum, symbolum cultus Bacchici, gestaverint, dubium esse non potest.

Iam hoc videtur constare, phlyacum artem fuisse eam, ut in Bacchi honorem Bacchico apparatu instructi in scaena hymnos canendo (saltando) mimos agendo ex tempore eludendo spectatorum risum moverent. —

Extitit praeter hoc dramaticum phlyacum genus[13]), ut Sommerbrodtius recte mihi videtur exposuisse, alterum genus phlyacum, quod magis ad poesin lyricam accedebat, lascivia et procacitate priore famosius. De quo hoc loco verba facere non opus est. Rhinthonem enim, de quo nos agimus, priori phlyacum generi adnumerandum esse constat.

Iam qualis Rhinthonis ars fuerit in universum cognovimus; erat ille *φλύαξ* i. e. homo *γελοιαστής*. Neque enim

---

[13]) Fuisse autem phlyaces in certam quandam societatem Dionysiacam consociatos, qualem Athenis ithyphallorum extitisse constat, non est quod concludamus. Qua in re dissentio a Sommerbrodtio, qui inde quod phallophoros et autocabdalos Semus Delius apud Athenaeum et Suidam ithyphallis similes fuisse significare videtur, etiam illos in certum ordinem consociatos fuisse putat. Sed de hac re nihil constat. Similitudinem interesse ithyphallis cum autocabdalis et phallophoris minime negaverim; qualis fuerit nomen ipsum ansam praebet cognoscendi. Erat ea sine dubio posita in phallo.

dubium mihi videtur esse, quin Rhinthon ipse in scaenam prodierit, quod viri docti parum adhuc animadverterunt. Nam si hoc animadvertisset J. G. Vossius, non potuit coniectura tentare locum tractat. de com., qui Euanthio ascribitur (p. 7, 7 Reiff). Traditur enim codicum consensu .... Rhinthonicas ab actoris nomine, ubi vir ille doctissimus 'auctoris' scribi iubet. Cuius sententiae se addicit Sommerbrodtius (p. 45); quae mihi minime probatur. Nam quamquam scimus Rhinthonem auctorem fuisse, quippe qui dramata composuerit, tamen eum actorem quoque fuisse non negandum est, nisi certis causis hoc negare iubemur. Sed vocem *φλύαξ* poetam significare nullo certo indicio comprobatur; nam sicut vidimus, primaria verbi significatio pertinet ad artem autoschediam et artifices autoschedios. Eum autem, qui in scaena ex tempore agit actorem dici non est mirum; nominatur autem Rhinthon ubique phlyax, non phlyacum poeta; ubi de poeta agitur, aperte indicatur ut a Suida, qui eum hilarotragoediae i. e. *φλυακογραφίας ἀρχηγόν* appellat.

Hoc igitur tenendum est Rhinthonem fuisse actorem.[14])

Multa et varia genera artificum talium tulisse Magnam Graeciam, multa et varia nomina quae supersunt artificum ostendunt dico *μῖμοι καὶ γελωτοποιοί, λογόμιμοι; θαυματοποιοί* alii, qui varias res tractabant. In primis autem Tarenti, ubi Bacchi cultus maxime florebat, etiam has artes floruisse quis est quin sciat? Ac quo magis augebatur Tarentinorum luxuria, eo maiorem etiam artem fieri oportebat; unde factum esse videtur, ut eorum artificum, de quibus supra disseruimus, ludi literis mandarentur.[15]) Quod munus suscepit primus Rhinthon qui artem quam ipse ex tempore in scaena exercebat in certam formam redegit. Iam non habemus phlyaces sed phlyacographiam; extitit enim ex arte autoschedia, ut ita dicam, genus certum novumque poeseos, quod nomen in-

[14]) Etiam Nossidis verba: *Μουσάων ὀλίγη τις ἀηδονὶς (εἰμί) ἀλλὰ φλυάκων ἐκ τραγικῶν ἴδιον κίσσον ἐδρεψάμεθα* melius de phlyacibus ex tempore factis quam de scriptis poterant pronuntiari.

[15]) Idem accidit in omni poeseos genere; Homeri rhapsodias commemorare satis est.

duit hilarotragoediae. Suo jure igitur apud Suidam ἀρχηγὸς τῆς ἱλαροτραγῳδίας ὅ ἐστι φλυακογραφία poeta noster dicitur. Atque eodem pertinere videntur quae Laurentius Lydus I 40 affert, quum alios (de quibus postea disputabimus) tum Rhinthonem in Magna Graecia οὐ μικρῶν διδαγμάτων ducem extitisse, eum qui primus [hexametris] comoediam scripsisset. Quem Romanos imitatos esse (ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησεν). Nam vocabulo δίδαγμα eodem sensu videtur usus esse Lydus, quo vocabulum 'disciplina' usurpatur a Romanis.

Itaque in eo consentire videntur Lydus et Suidas, ut generis cuiusdam litterarum ducem eum fuisse testentur.[16]) Atque hoc modo facillime difficultas illa solvitur, quam in explicando verbo ἀρχηγὸς τῆς ἱλαροτραγῳδίας et οὐ μικρῶν διδαγμάτων καθηγητάς animadvertisse sibi videtur Sommerbrodtius p. 51.

Poemata Rhinthonis δράματα dicuntur a Steph. Byz. et Suida l. l. (cf. adn. 2 et *p. 2.* disputationis nostrae). Receptum esse hoc genus a Romanis quum Lydi tum multorum aliorum scriptorum confirmatur testimoniis quae Sommerbrodtius p. 45 composuit neque nos hoc loco praetermittere possumus.

Laur. Lyd. de mag. I, 40

Ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτὰ, εἰς παλλιάταν, τογάταν, Ἀτελλάνην, ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, πλανιπεδαρίαν καὶ μιμικήν. καὶ Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική.

Donat. ad Ter. Adelph. Prol. v. 7.

sic apud Graecos δρᾶμα sic apud Latinos generaliter fabula dicitur, cuius species sunt tragoedia, comoedia togata, tabernaria, praetexta, crepidata, Atellana, μικτός (ubi sine dubio mimus scribendum) *Rhinthonica.*

Tractat. de com. qui Euanthio ascribitur p. 7, 7 (Reiff):

[16]) Quum novum genus certum nomen desideraret, inventum est nomen ἱλαροτραγῳδία, profectum ab argumentis, quae hoc genere tractabantur. Hilarotragoedia enim nihil aliud est nisi μεταῤῥύθμισις τῶν τραγικῶν εἰς γέλοια vel ἱλαρά; nam secundum Hesychii glossam s. v. γέλοιος idem est γέλοιος et ἱλαρός.

Illud vero tenendum est post *νέαν κωμῳδίαν* Latinos multa fabularum genera tulisse: ut togatas — praetextatas — Atellanas — *Rhinthonicas ab actoris nomine,* tabernarias — mimos

et in ea parte quae Donato ascribitur (p. 9, 23) comoedia autem multas species habet aut enim palliata est aut togata aut tabernaria aut Atellana aut mimus aut *Rhinthonica* aut planipedia.

Accedit Anonym. de poemate ap. Keil Gramm. Lat. VI p. 274:
trogoedia, satyrica, praetextata, comoedia tabernaria, Atellana, *Rhinthonica,* mimica.
et ibid. p. 312. Anonym. poeticae species latinae: comoedia, tabernaria, Atellana, *Rhinthonica*, mimica.

Quibus omnibus ex locis fabulam Rhinthonicam apud Romanos quoque extitisse elucet, quae sine dubio Rhinthonis fabulam imitabatur. Laur. Lydus eam *ἐξωτικήν* vocat; exoticum autem dicitur peregrinum secundum Nonium p. 540, 17 (ad Plaut. Epid. 232); cf. etiam Plauti Menaechm. 236 Graecia exotica et Hesych. s. v. *ἐξωτικὰς δίκας· τὰς ξενικάς*. Aptissima igitur illa appellatio est, praesertim si ad Graeciam exoticam, qua Magnam Graeciam Plautus significat, animum advertimus.

Iam illa quaestio oritur, cui generi poeseos dramaticae fabula Rhinthonica sit adiudicanda, utrum comoedia sit necne.

Duodequadraginta fabulae (*δράματα*) Rhinthonis feruntur, ut Stephani Byzantii et Suidae testimoniis (l. l.) constat. Novem tituli supersunt:

Amphitruo	Athen. 3, 111
Hercules	Athen. 11, 500
Iphigenia Aulidea	Poll. 7, 90
Iphigenia Taurica	Poll. 7, 61
Telephus	Poll. 10, 35
Orestes	Hephaestio 1, 6

Δοῦλος Μελέαγρος Herod. p. 141, 8 E. M. s. v. *ὀλίος* Choerob.

Ἰοβάτης	ibid.
Medea	Hes. s. v. *Κομάκτωρ*.

Rhinthonis *φλύακες* a Nosside *τραγικοὶ* dicuntur. Secundum Steph. Byz. erat *τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων ἐς τὸ γελοῖον*. Ab Eustathio *φλύαξ* dicitur *ὑποκοριστικῶς ὡς τὰ τραγικὰ εἰς γέλοια μεταῤῥυθμίζων καὶ παίζων ἐν οὐ παικτοῖς ἀλλὰ φλυαρῶν ἄντικρυς*. Suidas comicum eum dicit eiusque fabulas comicas tragicas.

Atque quum Romanorum fabula Rhinthonica hilarotragoediam Rhinthonis imitetur, etiam quae de illa scimus ad hanc transferri possunt. Itaque quod scriptores Latini de illa afferunt, etiam aliquid momenti est ad hanc diiudicandam. Lydus et Rhinthonis ipsius fabulas comoedias vocat et fabulam Rhinthonicam Romanorum comoediae Romanorum adscribit (*ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτὰ εἰς παλλιάταν ..... Ῥινθωνικὴν κτλ.*). Cum eo aperte facit Donatus, qui speciem comoediae Rhinthonicam dicat. (l. l.). Ceterorum, quae collegit Sommerbrodtius testimoniorum ne unum quidem huic sententiae repugnat; nam tota enumerandi ratio.

. . . . Atellana, mimus, Rhinthonica
. . . . . Atellanas, Rhinthonicas, tabernarias, mimos
. . . . . . tabernaria, Atellana, Rhinthonica, mimica

eidem generi poetico omnes adscribendas esse has fabulas clamat, dico comico.

Itaque non possum satis mirari, quod Sommerbrodtius fabulas Rhinthonis comoedias fuisse praefracte negat. Satis erit Sommerbrodtii sententiam examinare, refutare ipsisque ex documentis quae supersunt quid elici possit explicare.

Tota Sommerbrodtii de hac re argumentatio prava mihi videtur esse. Ac primum quidem ei rei, quod Nossis comoedias Rhinthonis non affert, non tantum tribuendum est quantum vult Sommerbrodtius. Epigramma enim habemus non orationem; in epigrammate autem, quippe cuius vis sit in brevitate posita, non omnia afferuntur sed ea quae rem ipsam quam maxime tangant.

Deinde id vitupero, quod Sommerbrodtius causam non affert, cur nullius esse momenti ei videatur, quod Lydus dramata Rhinthonis comoedias appellat, quum ipse p. 44 Lydum testem gravissimum dicat. Neque video cur Suidae testi-

monium nihili putet, qui quidem unicus testis sit de temporibus Rhinthonis atque recte dramatum numerum nobis servavit, ut Stephani Byzantii auctoritate docemur. Itaque non habeo cur Suidae verbis diffidam.

Neglexit denique scriptorum Latinorum auctoritatem, quos supra composuimus.

Immo vero comoedias Rhinthonis fabulas fuisse ego quidem statuerim, nisi certae sunt causae quibus hoc statuere vetamur. Ipsum vocabulum *φλύαξ* neque, quum in universum hominem *γελοιαστήν* significet, ab homine comico est alienum neque eo sensu, quem nos ab artificum similium analogia profecti inde elicere conati sumus cum vocabulum ad apparatum scaenicum dico phallum et ad ludum ex tempore factum pertinere statuimus.

Quod praeterea affert v. d. ut comoediam hic locum non habere demonstret, non recte ille attulisse mihi videtur. Graecos enim a Doricae comoediae initiis omnes comoediae species comoedias appellavisse neque ullas comicarum fabularum diversitates stabilivisse eaque de causa nullam causam fuisse exponit, cur Rhinthonis fabulas proprio appellarent nomine. — Erant poemata Rhinthonis sine dubio fabulae atque pertinebant ad genus comicum; itaque si Graeci fabularum comicarum diversitates non stabiliverunt, quid est, cur comoediam eam appellare dubitemus, praesertim quum veterum testimonia diserte idem moneant?

De argumentis et natura fabulae Rhinthonicae, quae sane habuit aliquid proprii, litterarum monumentis in universum tantum docemur.

Nomen hilarotragoediae viam coniciendi indicat: erat igitur tragoedia *ἱλαρά*, id est in ridiculum versa (Hesych. s. v. *γελοιός· ἱλαρός. γελοιαστής* [*καὶ ὁ καταγέλαστος ἄνθρωπος καὶ λοίδορος*] Steph. Byz. et Eust. *τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων ἐς τὸ γελοῖον* sc. *Ῥίνθων*). Atque in explicandis his verbis cum Sommerbrodtio ceterisque facio, qui *τὰ τραγικὰ* nisi de tragoediis aliorum dici non potuisse censentes non in universum argumenta — tragica sed aliorum poetarum tragoedias in ridiculum mutatas esse ab eo existimant. Ad eandem

sententiam adducimur, quum ad titulos fabularum Rhinthonis qui supersunt attendimus, qui omnes etiam in tragoedia Attica extant. 'Amphitruonem scripserat Sophocles; Herculem Diogenes, Timesitheus; Iphigenias Euripides; Telephum Aeschylus Euripides Sophocles alii; Orestem Euripides; Meleagrum Euripides Sophocles alii; Iobaten Sophocles; Medeam Euripides alii.' (Sommerbrodtius in diss. in.)

Has igitur fabulas Rhinthonem e tragoediis eiusdem nominis detorsisse cum Sommerbrodtio consentio. — Sed iam quaeritur, quomodo eas detorserit; ad quam quaestionem diiudicandam ad vasa quaedam picta nobis refugiendum est, quae iamdudum viri docti ad phlyacum artem referenda esse opinati sunt; viguisse autem hanc artem apud Italos, in primis apud Tarentinos tenendum est.

Est autem certum aliquod genus vasorum, quod in animo habeo; quorum alia a Wieselero in libro qui inscribitur 'Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens' congesta sunt, alia ab eodem viro docto in annalibus Instituti archaeologici edita sunt.

Quo de genere Otto Iahnius in praefatione libri qui inscribitur 'Beschreibung der Vasensammlung König Ludwigs in München' (p. CCXXVII sq.) hunc in modum disserit:

„Eine Klasse von Vasenbildern, welche ohne alle Frage eine eigentümliche Art von komischem Bühnenspiel repräsentieren, bei dem auch die Bühne selbst oft kenntlich angedeutet ist. Auf derselben treten Schauspieler auf, welche als solche durch groteske Masken und eine eigentümliche, im wesentlichen überall gleiche, bunte Tracht charakterisiert sind. Diese besteht bei den Männern aus enganliegenden Hosen und Ärmeln, einer Art von Wams, das gewöhnlich zu einem dicken Bauch ausgestopft ist, wozu mitunter ein Überwurf kommt, und einem unförmlichen Phallus; die Tracht der Frauen ist, abgesehen von der Maske, von der gewöhnlichen Weibertracht nicht sehr abweichend. Die Darstellungen dieser karrikaturartigen Gestalten sind teils Parodien mythischer Begebenheiten (teils Szenen aus dem gewöhnlichen Leben) . . . . Ob aber diese Darstellungen Aufführungen der

attischen Komödie nachbilden, ist mir zweifelhaft; dass ein solches Kostüm dort üblich gewesen, davon findet sich meines Wissens keine Spur. Nun liest man aber auf einer nolanischen Vase der Art (apud Wieselerum tab. IX) neben einem Sklaven die oskische Inschrift Santia, ein sicherer Beweis, dass sie an Ort und Stelle verfertigt. Dazu kommt, dass Vasen dieser Art in der überwiegenden Mehrzahl in Apulien und Lukanien, einzeln in Leontinoi, wo auch sonst den apulischen verwandte Vasen zum Vorschein gekommen sind, und in Campanien, sonst nirgend gefunden werden. Erwägt man nun, dass in Unteritalien possenhafte Darstellungen der Art, besonders parodischer Natur mit karikaturartigen Charaktermasken üblich waren — es genügt an die *φλύακες* von Tarent und die Atellanae der Osker zu erinnern, — so wird es nicht unwahrscheinlich, dass diese Darstellungen, wenngleich auch durch attische Einflüsse bestimmt, doch in dieser Weise ihrer Ausbildung in Unteritalien einheimische sind."

Italicam igitur artem haec vasa picta prae se ferunt; hoc et recte conclusit Iahnius ex argumentis[17]) quae affert, et alterum quoque mihi argumentum praesto est. In amphora enim ea, quam Wieselerus tab. IX, 15 posuit, haec inscriptio extat:

ΑΣΣΤΕΑΣ ΕΓΡΑΑΘΕ (sic!)

i. e. Asteas pinxit. Idem artifex eadem nominis falsa scriptura nominatur in duobus aliis vasis, quae Iahnius eodem loco (p. CCXXI) commemorat, quorum alterum Paesti, Barii alterum in lucem prodiit. Itaque dubitari non potest, quin idem porro haec tria vasa picturis ornaverit. De ipso hoc Astea nihil memoriae proditum est; sed Tarentinum eum fuisse non iniuria inde concluseris, quod Asteam nomen Tarenti usitatum fuisse Asteae Pythagorei Tarentini exemplum docet.[18]) Unde

---

[17]) Sed una in re ab eo dissentio: contineri enim censet his vasis pictis in universum parodiam rerum vel factorum mythicorum, qualem phlyacum propriam fuisse putat. Nos vero hilarotragoediam tragoediam in ridiculum versam existimamus. Sed etiam hunc sensum ex huiusmodi vasorum pictorum argumentis elici posse quis est quin videat?

[18]) Iamblich. Pyth. 36.

de nostrae earumque amphorarum, quae eundem stilum, ut ita dicam, prae se ferunt, origine cum aliqua veritatis specie iudicaveris.

Praeterea argumentum eius vasis quod est apud Wieselerum l. l. tab. IX, 4, aperte ad Tarentinorum res spectat. Exhibet enim hominem comico vestitu instructum in piscis dorso vehentem; significari autem a pictore *τὸν Τάραντα Ποσειδῶνος* secundum Wieselerum veri similius videtur esse quam Arionem: recte enim monet vir ille doctus Arionem sine cithara fingi non potuisse (p. 54 l. l.). Tarantem autem, Neptuni filium in delphino, cuius in locum facile piscis succedere potuit, cum res in ridiculum vertebatur, vehentem repraesentari solitum esse, testis Aristoteles in Tarentinorum re publica (apud Poll. On. IX, 79) *καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ καλεῖσθαί φησι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νοῦμμον, ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχούμενον.* Cuius testimonium ipsis nummis qui ad nostram aetatem pervenerunt, quam luculentissime confirmatur. Itaque ad Magnae Graeciae inprimis Tarentinorum artem argumenta vasorum eorum, de quibus agimus, pertinere videntur.

Deinde quaeritur, utrum apparatu scaenico, quem in omnibus his vasis fere eundem esse Otto Iahnius iam affirmavit, ad ipsam, de qua nos agimus, artem phlyacum ea referenda esse comprobetur necne.

Iam prima parte disputationis nostrae cohaerere artem phlyacum cum Bacchi cultu ex similitudine cum dicelistis, phallophoris, autocabdalis, ithyphallis coniecimus.[19]) Haec coniectura ad certum perducitur fragmento quodam, quod ex Rhinthonis Oreste affert Hephaestio I, 6 (ed. Westph.)

Ὥς σε Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη.

---

[19]) Favet huic coniecturae etiam Hesychii vocabuli *φλύαξ* explicatio: *φλύαξ μέθυσος, μεθυαστής;* nam ithyphalli *προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσιν* secundum Semum Delium apud Athen. XIV, p. 622; nisi forte M. Schmidtii sententiam a Sommerbrodtio diss. p. 2 adn. 2 allatam praeferas, qui has explicationes *μέθυσος* et *μεθυαστής* non tam ad *φλύακος* vocem quam ad stirpem *φλυγ* quae est in *οἰνόφλυξ* referendas esse statuit.

Advocatur Bacchus hoc loco in exsecrando

Ita te Bacchus ipse perdat.

Quod cum nullum, quod sciam, habeat exemplum, peculiarem huic loco causam inesse oportet; accedit quod ex Oreste fabula versus petitus est, cuius argumentum si quid ab Euripidis Oreste licet concludere, a Baccho plane alienum erat. Causam, quam quaerimus, in eo positam esse pro certo habeo, quod actio scaenica fabulae Rhinthonicae tam arte cum Baccho cohaerebat, ut ad hunc deum omnia vel execrationes referrentur. Quae suspicio magis etiam augetur adiecta voce *αὐτός,* quam sic explico:

Bacchus ipse noster deus quem celebramus, qui summis apud nos in honoribus est.

Cum hilarotragoediae cum Bacchi cultu conexum perspexerimus, ne id quidem dubium esse potest, quin symbolum, ut ita dicam, cultus Bacchici, phallus in ea locum habuerit, praesertim cum phlyaces eum gestasse supra demonstraverimus.

Atque ipse quidem phallus omnibus eis vasis pictis, de quibus agimus, communis est. Permultae igitur sunt causae, quae vasa illa, a Iahnio in universum descripta, ad nostram artem referri iubeant. Iam ex Iahnii descriptione, quam supra apposuimus, varia argumenta huiusmodi vasis repraesentari patet, aut mythica quae nos potius tragica dicimus, aut petita ex vitae cotidianae consuetudine. Cum vero ex litterarum monumentis naturam comoediae Rhinthonicae *ἐν τῷ μεταῤῥυθμίζειν τὰ τραγικὰ εἰς γέλοια* versari cognoverimus, tantum id genus vasorum, quod priore loco attulimus, in quo *μεταῤῥύθμισις τῶν τραγικῶν εἰς γέλοια* inesse videatur, in censum vocari potest. Omnino ea omittere licet, quae quin ad fabulam in scaena actam pertinere nequeant, dubium esse non potest.

Priusquam autem ad singula vasa enumeranda et perlustranda transeam, hoc quoque monebo. In prima disputationis parte Suidae de Rhinthone testimonium adscripsi *(p. 2)*, quod sub voce *Ῥίνθων* tradit: figulum fuisse Rhinthonis patrem.

Itaque non casu forte accidit, ut in vasis pictis Rhinthonis fabulas animadvertere nobis videamur.

Ad singula examinanda veniamus.

Omnium eorum vasorum, quae in censum vocari possunt, duo ad hilarotragoediam Rhinthonis pertinere mihi videntur.

Atque incipiendum videtur ab ea pictura, quae est in libro qui inscribitur 'Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens' tab. IX, 11. Depictum esse Iovem, deorum regem adiuvante Mercurio cum Alcmena moechari conantem, quis post Winckelmannum, Müllerum, Wieselerum negaverit, praesertim cum ad Plauti Amphitruonem animum advertas? Mercurius a dextra scaena est positus; designatur petaso, caduceo, chlamyde. Manu dextra tenet lanternam, ut dominum adiuvet. Dominus ipse Iuppiter a sinistra positus est, nec sceptro nec toga, ut alias fieri solet, designatus. Habet solum in capite tegumentum, quod modium appellat Winckelmannus a Serapidis similitudine profectus. Esse autem hoc tegumentum nihil aliud nisi coronam parvam, qua Iuppiter designetur, ex aliis quibusdam vasis elucet. Sceptrum autem hic Iovi non attributum esse non solum mirum non est, sed ne potuit quidem attribui, cum manibus scalas gestaret. Accedit quod *Ζεὺς μοιχός* apud poetas comicos quasi persona stata erat et praeterea adiutor adsit Mercurius, Iovis nuntius et minister, qui eius imperia callide exequitur.

Quae actio repraesentetur non difficile est intellectu. Iovem in fenestram supra positam[20]) unde Alcmena Amphitruonis uxor despicit, esse ascensurum scalis demonstratur, quas utraque manu gestat. Nocte rem agi et Mercurii lucerna et scalae in publico positae demonstrant.

Iam Wieselerus in numero earum fabularum quae talem scaenam, qualis est nostra, continere poterant, in primis de Rhinthonis Amphitruone cogitandum esse censet (p. 59). Atque rectissime virum doctum ita censuisse iudico. Optime

[20]) In altiore parte domus fenestram positam esse et scalae declarant et Pollucis verba IV, 130 faciunt veri simile *ἐν δὲ κωμῳδίᾳ ἀπὸ τῆς διστεγίας πορνοβοσκοί τε κατοπτεύουσιν ἢ γρᾴδια ἢ γύναια καταβλέπει.*

enim haec scaena ad tragoediam in ridiculum versam, qualis erat Rhinthonica, quadrat. Nam quid in ea ridiculi est? in primis apparatus scaenicus. Iovis stuprum cum Alcmena a tragicis quoque Atticis tractatum esse Aeschyli Euripidisque Alcmenae, Sophoclis Amphitruo docent. Earum fabularum argumentum accuratius definiri nequit. Diversas fuisse a comoedia ipsum Plautini Amphitruonis exemplum ostendit: Mercurius Plautinus ipse servus est, Amphitruonis servi personam mutuatus et Iuppiter Plautinus Amphitruonis partes agit. In nostra pictura nullum vestigium inest, quo personas permutatas esse indicetur; neque enim quod Winckelmannus observasse sibi videtur Mercurium plane forma servili fictum esse, verum est, ut Wieselerus recte monet. Itaque ne permutationes quidem personarum illas, quarum fabula Plautina plena est, in ea fabula, quam pictura nostra imitatur, extitisse supponas. Tragoediae autem argumentum quod in ridiculum versum nostra pictura imitari videtur, hoc fere fuisse puto: Iuppiter absente Amphitruone, non Amphitruonis sed sua ipsius forma, cum Alcmena seu invita, seu non invita, coiisse noctu gravidamque eam fecisse; Amphitruonem ex itinere reversum, cum uxorem ab altero tactam esse cognosceret, vehementissime in eam invectum esse et supplicio eam afficere instituisse. Iovem autem deum ex machina apparuisse et auctoritate verboque divino Amphitruonis iram lenivisse. — Atque Engelmannus in disputatione de Alcmena Euripidea (in programmate Gymnasii Friedericiani Berolinensis 1882) eandem proposuit eius fabulae argumentum profectus a duobus picturis vascularibus, quibus Alcmena in rogo posita conspicitur, dum Amphitruo coniux et Antenor rogum taedis incendunt; arcu autem caelesti et deabus aquam in rogum defundentibus auxilium dei ex machina Iovis indicatur, qui imbri rogum extinguens supplicium de Alcmena ab Amphitruone sumi non patitur.

Atque ut ad nostram picturam redeamus, totum apparatum scaenicum a tragoedia alienum esse iam monuimus; de quo post uberius disputabimus. Praeterea autem tota actio ridicula est. Iuppiter deorum rex, in scaena ipse scalas

portat ut fur in fenestram ascensurus, quamvis minister adsit Mercurius lucernam tantum portans.

Num quid potest esse magis ridiculum? nonne omnia ad comoediam Rhinthonicam bene quadrant?

Iam ad alterum vas pictum transeamus, septimum apud Wieselerum tabulae nonae, de quo p. 55 verba facit.

Panofka argumentum huius picturae ad Antigonae Sophocleae scaenam, quae est inde a versu 394, pertinere censet; etiam Welckerus hanc sententiam amplexus est in libro qui inscribitur 'Alte Denkmäler' (vol. III, p. 504). Cogitant v. v. d. d. de ea scaena, qua custos captam Antigonam virginem Creonti tradit, his verbis regem alloquens

v. 394 *ἥκω . . . . .*
κόρην ἄγων τήνδ' ἣ καθευρέθη τάφον
κόσμουσα

v. 430 *ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου*
χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.

Atque recte de hac pictura iudicasse mihi videntur viri docti, neque enim aliud argumentum excogitari potest, ad quod omnes picturae partes conveniant.

Creontem regem depictum esse sceptro declaratur, quod manu dextra gestat, quodque ad apparatum tragicum pertinere Poll. 4, 117 monet, et tiara quam in vasis pictis non regum orientalium proprium ornamentum sed omnibus scaenae tragicae regibus attribui esse solitum Wieselerus (Satyrsp. p. 111 Anm. Gött. Studien 1847, II. Abt. p. 676) exponit. Limbo lato et denticulato, quo vestis et huius figurae et eius, quae in medio posita est, circumdata est, quum alterius personae vestis eo careat, indicatur ortus eorum nobilis vel regius. Eundem fere limbum in altera scaena, quae sine dubio tragica est, in eodem Creonte atque in eo, qui una cum eo repraesentatur, Oedipode animadvertimus (Welcker Alte Denkmäler III tab. 23, 2), unde coniectura etiam magis confirmatur. Praeterea ea figura, quam Antigonae nomine significamus, manu dextra personam portat aperte *ὄγκῳ* instructam.

Amphora quoque, quam haec figura gestat, Antigonae iure attribuitur; nam πρόχοος eo loco commemoratur, quem supra ex Sophoclis Antigona adscripsimus (v. 430). „Dass das Gefäss der Totenspende so sehr vergrössert ist und so fest gehalten wird, scheint der komischen Absicht, da auf dies Gefäss hier alles ankommt, vollkommen angemessen (Welcker l. l. p. 506).

Tertiae figurae cum totus habitus tum gestus, quo virginem collo prehendit, custodi Antigonam arripienti optime convenit. Hasta duplex in manu θεράποντος aptissima; eadem, ut unum pro multis exemplis afferam, extat eodem in vase picto, quod iam semel commemoravimus (Welcker, Alte Denkmäler III tab. 23, 2). Wieselerus de hac figura haec verba facit: 'die letzte Figur sieht ganz so aus, als ob sie einen barbarischen Krieger oder einen attischen Polizeisoldaten darstelle. Das ausländische liegt in dem gemeinen Gesichte und der auffallenden Stumpfnase und in dem Mantel von Fell, der σίσυρα (Poll. 7, 70).' Capitis quoque tegimentum quasi attributum hominis barbari cognoscas, quod Wieselerus ex Dionis Chrys. loco (Or. 72, 3 p. 730) concludit: ἀνθρώπους τοὺς μέν τινας πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντας, ὡς νῦν τῶν Θρᾳκῶν τινὲς τῶν Γετῶν λεγομένων. Etiam pharetra, quam eum portare concludit ex loro, quod in sinistro humero animadvertere sibi videtur Wieselerus, optime ad militem barbarum vel τοξότην Atheniensem quadrat.

'Dass die Figur in der Mitte nicht einen Schauspieler in der Rolle eines Weibes, wie es gewöhnlich war, sondern einen als Weib verkleideten Mann darstelle, erhellt namentlich aus dem sichtbaren Gliede.' (Wieseler l. l.). Deest e. g. phallus duabus feminis in ea pictura depictis, quae est apud Wieselerum tab. III 18. Actionem autem hanc repraesentari censeo: Persona illa, quam animadvertimus a custode manifesto scelere deprehensam, non ipsa Antigona est, sed servus eius prorsus muliebri habitu instructus; quam personam custos ad Creontem regem adduxerat; hic ream capitis damnaverat, damnatam a custode ad supplicium abduci iusserat: custos ut domini iussum exequatur virginem collo prehendit

et secum abducere conatur; illa operam dat ut effugiat ac mortis metu praeter modum territa Creontis misericordiam implorare studet personamque deponit se non ipsam esse Antigonam sed servum eius confitens.

Ad certum iam perducta esse coniectura mihi videtur Antigonae Sophocleae in ridiculum versae scaenam ante oculos nos habere.

Sed dixerit forsitan quispiam comoediae talis, qualis est Aristophanis, scaenam nos ante oculos habere; hoc praefracte negandum est, nam nullam comoediae personam ὄγκον gestasse constat. Pollux enim, gravissimus de hac re testis, fere in unaquaque persona tragica (4, 133) ὄγκον affert, in nulla persona comica; unde tuo iure ὄγκον propriam tragici apparatus partem fuisse colligas; ὄγκον autem in tragoedia in ridiculum versa locum habuisse facile intellegitur.

Atque cum omnia colligo animo, non dubitaverim scaenam nostram, ad Rhinthonis hilarotragoediam referre, quamquam non extat testimonium Antigonam fabulam ab eo esse conditam. Sed cum Rhinthonem Sophoclis fabulas aliquas in ridiculum vertisse veri sit simillimum, idem de Antigona profiteri non dubito, praesertim cum omnia indicia huic coniecturae optime conveniant.

Cetera eiusdem generis vasa picta ad comoediam Rhinthonicam non pertinere mihi videntur, cum aut ad comoediam ipsam aut ad artem satyricam referenda sint.[21])

Iam ad ipsam illam quaestionem quam proposuimus solvendam aggrediamur, quaenam fuerit natura hilarotragoediae.

Fuisse autem hilarotragoediam in universum μεταῤῥύθμισιν τῶν τραγικῶν ἐς γέλοια supra veterum testimoniis comprobavimus. Atque nobis ipsas aliorum tragoedias in ridiculum vertisse Rhinthon visus est. Quomodo autem verterit ille magna inter viros doctos est dissensio. Atque mihi qui-

---

[21]) Sunt fere haec:
Wieseler l. l. III, 18. IX, 9. IX, 12. IX, 13. IX, 14. IX, 15. ibid. tab. A, 25. 26. Accedunt nonnulla ab eodem in annalibus Inst. Arch. et ab H. Heydemanno in duobus progr. (Berl. Winckelm. Programm 1870, Hall. Winckelm. Progr. 1884) edita.

dem et ex litterarum testimoniis et ipsis fragmentis et iis vasis pictis, quae ad comoediam Rhinthonicam pertinere ostendimus, haec fere colligi posse videntur.

Μεταῤῥύθμισις in his tribus rebus constabat. Primum enim vestitus tragicus detorquebatur in comicum, deinde sermo tragicus in humilem vulgaremque sermonem (*εἰς εὐτελῆ λέξιν*), ad extremum actio tragica in ridiculum.

Ac primum quidem de vestitu tragico in comicum detorto agendum est; sed antea dicendum qualis fuerit apparatus scaenicus.

Feminarum vestitum ab usitato non diversum fuisse iam monet Iahnius (Vasens. praef. CXXVII). Primo obtutu offendimus quod phallo instructa est Antigona (tab. IX, 7); sed iam in diiudicanda hac pictura non ipsam Antigonam sed servum eius depictum esse monuimus.

Virorum autem vestitus constat imprimis ex anaxyridibus, quas in omnibus, quae attuli, vasis pictis animadvertimus.

Anaxyrides ab orientis gentibus originem ducunt; sunt autem genus vestimenti.[22]) Atque paullo accuratius hoc de genere vestimenti verba facere mihi in animo est.

Habent autem anaxyrides multa nomina:

σκέλεαι (Poll. VII, 59 *τὰς δὲ ἀναξυρίδας καὶ σκελέας καλοῦσιν*)

σαράβαρα apud Parthos (Hesych. s. v. *σκέλεαι· τὰ τῶν σκελῶν σκεπάσματα· Πάρθοι σαράβαρα*)

βρακία (Suid. s. v. *σαράβαρα· ἐσθὴς Περσική· ἔνιοι δὲ λέγουσι βρακία.* ibid. s. v. *ἀναξυρίδες.*

βράκες (Hes. s. v. *βράκες· ἀναζυρίδες* [sic!])

φιμινάλια (Suid. s. v. *ἀναξυρίδας· φιμινάλια, βρακία.* ibid. s. v. *φιμινάλια· ἀναξυρίδας, βρακία*).

Ex ipsis nominibus non multum elici potest; Latinorum potissimum testimoniis de iis nitendum est; nam feminalia, braces vel bracae, sarabara apud Romanos non ignota, ac

---

[22]) Extat praeterea alterum genus anaxyridum, calceorum, quod hoc loco nihil ad rem.

propter mollitiem et luxuriam famosa. Tegebat autem hoc vestimentum totum corpus; itaque non solum ex braccis sed etiam chitone manicato constabat; atque hoc ipsis vasis pictis comprobatur. Nam ubicunque id animadvertimus, semper braccae eodem prorsus modo pictae sunt quo manicae. Atque maxime hoc patebit ex ea pictura, quam tab. IX, 15 posuit Wieselerus. Primo obtutu manicas braccasque ex eadem materia confecta esse videbis.

Non iniuria igitur Wieselerus in libro, qui inscribitur 'Das Satyrspiel' l. l. anaxyrides cum eo genere vestimenti scaenici comparat, quod apud nos 'Tricot' dicitur. Tamen hoc vestimentum duabus ex partibus constare non negandum est; nam ex Suidae glossa s. v. *ἀναξυρίδας·* (omitto quae nihil ad rem) *καὶ παρὰ* [emendavi ex *καίπερ*] *τῷ Θεοδοσίῳ ἐκλελυμένον τὸν ἱμάντα τὸν ἀμφὶ τὰ αἰδοῖα τὰς ἀναξυρίδας δέοντα* zona cinctas fuisse anaxyrides *περὶ τὰ αἰδοῖα* apparet; quocum bene congruit ea pictura, quam tab. IX, 5 posuit Wieselerus. Comastae enim, quos ibi animadvertimus, cum praeter anaxyrides nullo vestimento induti sint, fit ut zonam quoque adspiciamus.

Atque hoc genus vestimenti in arte comica Italiae inferioris fuisse usitatissimum et quasi legitimum, vasis pictis comprobatur iis, de quibus supra verba fecimus. Athenis quoque fuisse in usu in scaena non est quod supponamus, quamquam in ea scaena, quae ex Aristophanis Ranis petita est, idem vestimentum animadvertimus. Tenendum enim est vas, in quo ea scaena depicta est, in ipsa Italia factum esse atque artem Italicam prae se ferre.

Sed de hoc vestimento quaestio nondum ad finem perducta est.

Nam id vestimentum, quod *Ταραντῖνον* dicitur a Semo Delio (apud Athen. p. 622) et ab Hesychio s. v. *Ταραντῖνον, Ταραντινίδιον* autem a Polluce (IV, 104 et VII, 76) nihil aliud esse iudico atque anaxyrides nostras. Cuius rei haec habeo indicia: omnia quae de Tarentinidiis traduntur, etiam de anaxyridibus profiteri possumus. Atque de Tarentinidiis haec habemus testimonia

Semi Delii apud Athen. l. l.

οἱ δὲ ἰθύφαλλοι . . . . περιέζωνται ταραντῖνον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν.

Hesych. s. v. *Ταραντῖνον·*

ἱμάτιον γυναικεῖον λεπτὸν κρωσσοὺς ἔχον ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους.

Pollucis IV, 104

οἱ δὲ γύπωνες ξυλίνων ποδῶν ἐπιβαίνοντες ὠρχοῦντο διαφανῆ Ταραντινίδια ἀμπεχόμενοι.

eiusdem VII, 76

καὶ μὴν τόγε Ταραντινίδιον διαφανές ἐστιν ἔσθημα ὠνομασμένον ἀπὸ τῆς Ταραντίνων χρήσεως καὶ τρυφῆς.[23])

Tarentinidia a Tarentinorum usu et luxuria nomen duxerunt; anaxyrides quoque propter mollitiem et luxuriam tota Italia erant famosae neque mihi quidem dubium videtur quin eae, quum ab orientis gentibus originem duxerint, in Italia primum a Tarentinis in usum receptae sint, unde in ceterorum quoque Italorum usum pervenerunt.

Deinde, aeque atque anaxyrides, Tarentinidia corpus *μέχρι τῶν σφυρῶν* tegebant; neque cogitandum est de vestibus feminarum similibus, nam secundum Pollucis l. l. *γύπωνες ξυλίνων ποδῶν ἐπιβαίνοντες ὠρχοῦντο διαφανῆ Ταραντινίδια ἀμπεχόμενοι.* Hos enim artifices, cum saltarent, vestes muliebres induisse incredibile est, quod prorsus a veterum moribus et consuetudine abhorreret.[24]) Non dubium est quin vestimentum, quale sunt anaxyrides, induere soliti sint. *Διαφανές* vero et *λεπτόν* hoc vestimentum dici non mirum est; nam cum ad totius corporis formam arte se applicaverit, tenue esse debebat et *διαφανές* aeque atque anaxyrides.[25])

Denique Semo auctore Ithyphalli *περιέζωνται Ταραντι-*

---

[23]) cf. etiam Suidam s. v. *Ταραντινίδιον· λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον, οὐ πάντως πορφυροῦν ὥς τινες ὑπέλαβον κτλ.* verba quae sequuntur Nicostrati corrupta sunt.

[24]) Itaque Hesychii *ἱμάτιον γυναικεῖον* non vertendum est 'Frauenkleid', sed 'weibisches Kleid' atque pertinet ad *τρυφήν*.

[25]) Constabat autem Polluce auctore (VII, 76) *ἐκ βομβύκων*.

νίδιον: et anaxyrides quoque zona cinctas fuisse supra demonstravimus.

Quae cum ita sint, non puto dubitandum esse, quin Tarentinidia diversa non fuerint ab anaxyridibus. Itaque ne id quidem mirum, quod Athenis quoque apud Ithyphallos hoc genus vestimenti reperimus, quippe quos eidem generi artificum cui phlyaces attribuendos esse comprobaverimus.

Atque de anaxyridibus quidem hactenus. Supra eas alterum vestimentum induebatur pectus ventremque tegens phalloque instructum informi. Erat autem hoc vestimentum praeter modum fartum, ita ut abdominis speciem praeberet: et augebat sine dubio vim comicam is habitus. Phallum autem *ἐν μέσοις τοῖς μηροῖς* portabant (Hesych. s. v. *φαλλικόν*) et eum quidem *σκύτινον καθειμένον ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου παχύ,* qualem describit Aristophanes Nub. 537 sq; quocum vasa picta consentiunt, nam phallus et rubro colore pictus est et *καθειμένος*. — Quod vestimentum quo iure a Wieselero *σωμάτιον* appelletur, mihi non liquet. Verum huic significationi oppugnat Pollucis testimonium (4, 115): *καὶ σκευὴ μὲν ἡ τῶν ὑποκριτῶν στολή· ἡ δ' αὐτὴ καὶ σωμάτιον ἐκαλεῖτο. Σωμάτιον* igitur totum apparatum scaenicum actorum significat.

Praeterea animadvertimus exomidem, vesti comicum, *χιτῶνα λευκὸν ἄσημον κατὰ τὴν ἀριστερὰν πλευρὰν ῥαφὴν οὐκ ἔχοντα* (Pollux) et *ἐπιβλήματα*.

Quae omnia non ex tragoedia petita sunt sed aut ex Bacchi cultu aut ex ipsa comoedia. Hilarotragoedia autem multa etiam ex tragico vestitu servavit, sceptrum et tiaram et *φαινόλην* (quem ex Rhinthonis Iphigenia Taurica Pollux affert), *ὄγκον* denique, qui quasi proprium personarum tragicarum attributum erat.[26]) Abstinuit vero Rhinthon se cothurno; immo omnes comoediae Rhinthonicae personas nudis pedibus in scaena egisse ipsis vasis pictis demonstratur.[27])

[26]) *Ὄγκος* qui ex Rhinthonis Iphigenia Aulidea a Polluce 7, 90 citatur, calceorum genus est; sed locus corruptus est. Emendavi *p. inf.*

[27]) Commemorat Polluce auctore Rhinthon ille quidem *κάλτια* et *Κολοφώνια* in Iphigenia Aulidea, calceorum genera; sed irrisisse eum

Eandem vero personam, Antigonam dico, et nudis pedibus et *ὄγκῳ* instructam in scaenam prodire, praesertim cum addas etiam phallum, quid potest excogitari magis ridiculum? — Idem accidit in Creonte rege. Qui et tiara sceptroque ornatus est et nudis pedibus ingreditur et vestem comicam induit limbo purpureo tragico, ut ita dicam, circumdatam. Similiter hasta duplex in manu custodis tragoediam redolet, cetera comoediam.

Neque hoc silentio praetermittendum esse mihi videtur, quod omnes hilarotragoediae actores personis utebantur; plane Wieseleri de hac re sententiam comprobo (p. 53 l. l.).

Atque hic quoque tragicae personae comicis admixtae sunt; satis est commemorare Antigonae personam tragicam, custodis comicam in eadem scaena.

Iam puto apparere quo decurrat oratio mea: *μεταῤῥύθμισιν* hilarotragoediae una ex parte inesse ea ipsa in re, quod vestitus tragicus cum comico ridiculum in modum miscebatur.

Ut iam ad alteram partem transeamus, similis videtur fuisse *μεταῤῥύθμισις* sermonis tragici in ridiculum. Qua in re diiudicanda nos tam parvis frustulis uti posse quam maxime querendum est. Tamen casu felici accidit, ut quae ratiocinatione ex comoediae Rhinthonicae natura in universum coniecimus, luculente comprobentur fragmentis.

Sermonem cothurnatum in comoedia nudis pedibus ingrediente locum non habuisse per se patet; sed eundem cum invenias mixtum cum comico non miraberis; cuius generis *μεταῤῥυθμίσεως* exemplum luculentum in eo fragmento extat, quod ex Oreste Rhinthonico Hephaestio affert (I, 6 ed. Westphal)

ὥς σὲ Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη·
Ἱππώνακτος τὸ μέτρον, οὐδέν μοι μέλει.

Prioris versus, fortasse ex Orestis Euripidei versu 130. *θεοί σε μισήσειαν, ὥς μ' ἀπώλεσας* detorti, initium cothurno

potius eos, qui eiusmodi calceis utebantur, quam actores hilarotragoediae iis usos esse crediderim.

ingreditur, claudicat finis: execratio gravis, quae eo versu continetur, ridicula fit eo quod versus est choliambus; praeterea, quod iam supra p. 17 sq. accuratius exposuimus, in ipsa sententia ridiculi aliquid inest, cum Bacchi nomen usurpetur in execrando.

Subsequitur alter versus: expectamus causam execrationis. Quid vero sequitur? iocus *εὐτελής* de forma metrica prioris versus. Itaque suo iure Rhinthonem *παίζειν ἐν οὐ παικτοῖς* Eustathius professus est *(cf. adn. 3).*

Ad similem dialogi vilitatem pertinere videtur versus ex Rhinthonis Iphigenia Taurica a Polluce et Hesychio servatus

ἔχωσα καινὸν φαινόλαν κἀπαρτίαν[28])

quo mulier quaedam, fortasse ipsa Iphigenia, eluditur quia novam vestem induit. Ex Herculis Rhinthonici versibus ab Athenaeo servatis

ἐν ὑστιάκκῳ τε καθαρὸν ἐλατῆρ'[ἐμὶν] (cf. fr. coll.)
καθαρῶν τ' ἀλήτων κἀλφίτων ἀπεῤῥόφεις

etsi non integri sint, propter voracitatem eludi aliquem, sine dubio Herculem, apparet. Cetera fragmenta nihil ad hanc *μεταῤῥύθμισιν* illustrandam afferunt; sed ab ea, quam significavimus, sermonis vilitate non dirimi posse mihi videtur vilitas metri. Composuit fabulas suas Rhinthon metro iambico[29]); sed summa libertate usus est in componendis senariis. Ipse gravissimus de se testis est; nam cum versum Hipponacteum i. e. choliambum

ὡς σὲ Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη

usurpaverit in Orestis fragmento, addit

Ἱππώνακτος τὸ μέτρον, οὐδέν μοι μέλει.

Nihil sua interesse confitetur, utrum numerus versus stet necne; atque in ipso hoc versu leges metricas violat, quum in sede pari in vocabulo *Ἱππώνακτος* spondeum pro iambo admittat.

---

[28]) cf. adnotationem criticam in fragmentorum collectione.

[29]) Ineptum Ioannis Lydi testimonium (de magg. I, 40): *Ῥίνθωνα ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν.*

Iam alteram partem μεταῤῥυθμίσεως duabus potissimum in rebus versari cognovimus in vilitate et sermonis et metri.

Restat tertia pars, quam in eo positam fuisse significavi, ut actio tragica in ridiculum verteretur. Qualis fuerit haec μεταῤῥύθμισις accurate supra ostendimus, cum de duobus illis picturis vascularibus ageremus, quarum alteram ad Rhinthonis Amphitruonem, ad Antigonam alteram pertinere supra nobis persuasimus.

Ne hoc quidem silentio praetermittere possum. Dixerit forsitan quispiam inde profectus, quod phlyaces in scaena phallo instructos fuisse vasis demonstratur, poesin Rhinthonicam obscoenitate insignem fuisse et comoediam Graecam superasse; hoc prorsus negaverim, cum nec huius rei habeamus testimonium nec in fragmentis quidquam extet, quo haec sententia comprobetur. In phallo autem non offendendum; nihil enim erat nisi symbolum cultus Bacchici cum hilarotragoedia arte cohaerentis.

Excursus loco de Rhinthonis imitatoribus qui putantur Scira et Blaeso dicam. Qui viri a Laurentio Lydo una cum Rhinthone enumerantur; quo factum est, ut a viris doctis imitatores fuisse putentur. Sommerbrodtius primus a poesi Rhinthonica eos fuisse alienos comprobare studet; atque in hoc quidem cum eo consentio, sed in singulis dissentio ab eo, cum testimonia parum accurate examinaverit.

Ioannes Lydus postquam comoediae Romanorum species enumeravit (de magg. I, 41) et singularum naturam brevi exposuit, haec addit: ὅτι δὲ ἀναγκαῖον ἐμβραδῦναι τῷ λόγῳ προςθήσω καὶ τοῦτο. Ῥίνθωνα καὶ Σκίραν καὶ Βλαῖσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητὰς καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἐξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν κτλ.

Non parvarum disciplinarum in Magna Graecia auctores fuisse Rhinthonem, Sciram Blaesum ait Lydus; hos tres viros eiusdem disciplinae fuisse καθηγητάς non solum non affirmavit, immo ineptum esset affirmare. Itaque vel ex hoc loco eos inter se diversos fuisse genere scribendi apparet. Errat enim Sommerbrodtius cum dicit: ‘Adscribuntur Blaeso

et *Μεσοτρίβας* et *Σατοῦρνος* fabulae, quarum neutra (prioris ratio perspicua non est) tragoediae alicuius titulum ostendit. Sed neque Lydi verba talem artam trium illorum coniunctionem flagitant, immo nihil aliud is quam comoedias eos scripsisse dicit e. q. s.'

Immo accuratius Lydi verba interpretantes his ipsis nos videmus prohiberi ne tam arte coniungantur tres illi viri. Quid? quod Blaesum omnino ne comoedias quidem scripsisse audemus contendere. Nam in Lydi loco nullum vestigium comoediae Blaesi inest; cetera testimonia examinemus. Athen. III, 111 *πανός, ἄρτος Μεσσάπιοι. καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν καὶ πάνια τὰ πλήσμια Βλαῖσος ἐν Μεσοτρίβᾳ καὶ Δεινόλοχος ἐν Τηλέφῳ, Ῥίνθων τε ἐν Ἀμφιτρύονι.* Inde quod Dinolochus[30]) et Rhinthon scriptores dramatici sunt, non sequitur Blaesum quoque scriptorem dramaticum fuisse, cum Athenaei mos sit, ut diversissimos testes coniungat: una autem enumerantur hi tres viri propter dialecti similitudinem, cum unusquisque eorum Doride dialecto usus sit. Itaque non opus est Mesotribam comoediam esse, ne fabulam quidem.

Neque in altero loco, quo Blaesus ab Athenaeo citatur (XI, 487 l.) comoediae significatio inest: *Βλαῖσος ἐν Σατούρνῳ φησὶν*

ἑπτὰ μαθαλίδας
ἐπίχε' ἀμῖν τῶ γλυκυτάτω

ubi metrum quoque a dialogo dramatico alienum est[31]). Hesychius qui quattuor eius glossas exhibet, nihil lucis affert, cum dicit *παρὰ Βλαίσῳ*. Certius quo in scribendi genere Blaesus versatus sit, indicat Stephanus Byzantius s. v. *Καπρίη* '*ἐντεῦθεν ἦν Βλαῖσος σπουδογελοίων ποιητὴς Καπριά-*

---

[30]) Suidas s. v. *Δεινόλοχος Συρακούσιος ἢ Ἀκραγαντῖνος κωμικός. ἦν τὲ ἐπὶ τῆς ογ' Ὀλυμπιάδος, υἱὸς Ἐπιχάρμου· ὡς δέ τινες, μαθητής. ἐδίδαξε δράματα ιδ' Δωρίδι διαλέκτῳ.*

[31]) Metrum sine dubio trochaicum: Ego sic dispono

ἑπτὰ μαθαλίδας	' ⏑ ⏖ ⏑ '
ἐπίχε' ἀμῖν τῶ	⏖́ ⏑ — — '
γλυκυτάτω	⏖́ ⏑ —

της.' Quid vero vocabulo *σπουδογελοίων* significetur, Menippi Cynici Gadarensis exemplo docemur.[32]). De quo Stephanus Byzantius s. v. *Γάδαρα . . . . ἐντεῦθεν Μένιππος ὁ σπουδογελοῖος* ex Strabone (XVI 795) *ἐκ δὲ τῶν Γαδάρων Φιλόδημός τε ὁ Ἐπικούρειος γεγονὼς καὶ Μελέαγρος καὶ Μένιππος ὁ σπουδογελοῖος κτλ.* Diog. Laert. VI, 99 *Φέρει μὲν οὖν σπουδεῖον οὐδέν. Τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου.*

Satis nota est Menippi poesis, qui res *σπουδαίας* imprimis philosophicas ridiculum in modum tractabat, quum orationem prosam et versus in scriptis misceret, atque Diogenis magistri exemplum secutus ut cynicus praecepta philosophorum ad usum vitae convertit et veris addidit iocosa. Poeseos Menippeae et formam et argumenta imitatus est M. Terentius Varro saturis Menippeis et Lucianus, ex quo optime qualis fuerit Menippi poesis, cognoscere licet.

Talem igitur, qualis Menippus fuit, Blaesum quoque scriptorem fuisse, ex eis quae attuli argumentis concludimus.

Neque tituli, qui aetatem tulerunt, poeseos Blaesi 'Mesotribas' et 'Saturnus' a tali scribendi genere alieni sunt; non modo similes apud Menippum Meleagrum Varronem extant, verum etiam Luciani *Κρόνος* non potest non comparari cum Blaesi 'Saturno'.

Pythagoricae vero potius quam Cynicae philosophiae eum operam dedisse veri simile est; qua ex re fortasse aliquid lucis adfertur Lydi loco: *Ῥίνθωνα καὶ Σκίραν καὶ Βλαῖσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων*, ita ut fortasse artius coniungendus sit Blaesus cum Pythagoreis, Sciras cum Rhinthone, unde tertiam viam inveniremus explicandi vocabuli *Πυθαγορείων* (*cf. supra p. 2 sq.*). Quae cum ita sint ad Blaesum potius quam ad Rhinthonem referenda videntur esse

[32]) Qui praeter eum citatur a Diog. Laert. IX, 17 *Ἡράκλειτος σπουδογελοῖος ἀπὸ κιθαρῳδίας μεταβεβηκὼς εἰς τὸ εἶδος*, ignotus est. Meleager quoque Gadarensis aequalis Menippi secundum Diog. Laert. idem fere genus scribendi exercebat. Citantur eius *Χάριτες, Λεκίθου καὶ φακῆς σύγκρισις* ab Athenaeo (IV, 157 b) *Συμπόσιον* XI, 502 c.

ea, quae Lydus tradit, a Rhinthone, ὃς ἐξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν, Lucilium initium cepisse poeseos satiricae (ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε). Verba autem ʻκωμῳδίαν ἔγραψεʼ fortasse nihil aliud significant quam sequens ἐκωμῴδησε, quod vocabuli παίζειν habet significationem.[33])

Sed omittamus hanc lubricam coniciendi viam, certi enim nihil de hac re potest affirmari nisi quod in universum de Blaesi scribendi genere iudicamus.

De Scira vero nihil accuratius traditum est, nisi fuisse eum Italicae comoediae poetam. Aetatem tulerunt duo versus Meleagri eius ex Euripidei Hippolyti v. v. 74, 75 detorti.

Athen. 402, 6: Σκίρας (εἷς δ' ἐστὶν οὗτος τῆς ἰταλικῆς καλουμένης κωμῳδίας ποιητὴς γένος Ταραντῖνος) ἐν Μελεάγρῳ φησὶν

ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ
οὔτ' ἀσχέδωρος νεμόμενος καπρῴζεται.[34])

Quae eidem Scirae adscribuntur tria fragmenta sub lemmate Σκληρίας a Stobaeo in Florilegio servata, num iure adscribantur, mihi magnopere dubium videtur. Sunt autem haec: Stob. Floril. II, 9 Σκληρίου

Πολλῶν μὲν θνητῶν ἡ μὲν ὄψις εὐγενὴς
ὁ νοῦς δ' ἐν αὐτῇ δυσγενὴς εὑρίσκεται.

ibid. XVIII, 2 Σκληρίου

Ὡς οὐκ ἀνεκτὸς, ὅστις ἢ πάροινος ὢν
ἢ καὶ μεμηνὼς, εἷς μὲν αὐτὸν ἀσφαλὴς
ἀεί ποτ' ἐστὶν, εἷς δὲ τοὺς πέλας νοσεῖ.

---

[33]) Eodem sensu adhibetur κωμῳδεῖν apud Lucianum Ἁλιεύς 26, 37. Δὶς κατηγ. 33.

[34]) Hippolyti Euripidei versus sunt hi

ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ
οὔτ' ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ' ἀκήρατον κτλ.

Composuit eos cum Scirae Sommerbrodtius p. 55.

ibid. CIII, 9 *Σκληρίου.*[35])

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ,
δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γενέσθαι,
τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως·
εἶτα τέταρτον ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων.

Qui versus tragoediam potius quam comoediam redolent; itaque a Scira eos alienos esse puto. — Qualis vero fuerit Scirae nostri comoedia nullum est vestigium, unde indagemus.

---

[35]) Qui versus a Schneidewinio Simonidi attribuuntur (Schneidew. Simon. scol. fr. 24).

Caput II.

Fragmenta comoediae Rhinthonicae.

Testimonia de Rhinthonis vita et poesi cum in priore parte disputationis examinaverimus, satis est ea hoc loco componere, ut quo quodque loco tractatum sit cognoscere possis.

Nossidis in Anthol. Palat. VII, 414 epigramma adscriptum est pag. 1.

Steph. Byz. s. v. *Τάρας* vide adnot. 2.

Jo. Laurentius Lydus de magg. I, 40 extat pag. 11 et pag. 30.

Suidas s. v. *Ῥίνθων* adscriptus est pag. 2.

Eustath. ad. Dion. Perieg. v. 376 . . adn. 3.

Quorum Eustathius aut ex Stephano Byzantio hausit, aut uterque eodem ex fonte, eoque bono. Ea quoque, quae Suidas de vita Rhinthonis scripsit, bonum fontem redolent, Alexandrinum conicio, cum aetatem Rhinthonis ex Ptolemaei temporibus constituat; neque hoc mirum est, cum plurima eorum quae apud Suidam ad biographiam pertinent, magni pretii sint.

Nemo eorum scriptorum, quorum libri ad nostram aetatem pervenerunt, Rhinthonis ipsas fabulas ante oculos habuit[36]); sed omnia fragmenta glossographorum studiis debemus.

Quo factum est, ut omnia, quae supersunt, exigua sint; plerumque habes nudam glossam, interdum unus versus additur, duobus locis duo adduntur.

Scriptores qui fragmenta Rhinthonis tradunt, sunt hi: Cicero, Apollonius Dyscolus, Hephaestio, Herodionus, Pollux,

[36]) Ipse hoc de se fatetur Pollux X, 35.

Athenaeus, Hesychius, Suidas, Etymologicum Magnum, Georgius Choeroboscus.

Incipiendum a novissimo; Georgius Choeroboscus hausit et ex Hephaestione et ex Herodiano, Suidas ex Hesychii libro uberiore quam eo, quem nos nunc habemus.

Hesychius autem neque ex Athenaeo neque ex Polluce hausit, verum hi tres Diodori grammatici Aristophanei *Γλώσσας Ἰταλικάς* exscripserunt. Atque easdem Hephaestionis, Herodiani, Apollonii Dyscoli fontem fuisse, veri est simile. Etymologicum Magnum autem et ex Herodiano et ex Apollonio hausit.

Verba ea quae Cicero affert, in proverbii usum abierunt.[37]

Itaque ex uno eodemque fonte omnia ea fragmenta, ex Rhinthonis fabulis quae ad nostram aetatem pervenerunt, fluxisse nobis persuasimus; qui cum sit glossographus, non mirum, quod frustula tam parva sunt.

Quam de fonte fragmentorum Rhinthonicorum quaestionem movisse potius me quam absolvisse video; accuratius de ea re disputandi alio loco fortasse facultas dabitur.

Fragmenta Rhinthonicae comoediae corruptissima tradita sunt et in permultis quidem de medela desperandum est; in aliis viam potius medendi quam ipsam medelam inveni.

Collegit fragmenta Rhinthonica ante me Lorentzius in dissertatione de rebus sacris et artibus Tarentinorum; qui multa omisit. Collecta publici iuris non fecit Ernestus Sommerbrodtius; nuper Hermannus Diercks in libro, qui inscribitur 'Archäologische Zeitung', (1885 p. 38 adn.) se frag-

[37]) Georg. Choerob. 553, 32 exscriptum ex Hephaestione I, 6.; Choerob. 181. 28 redolet Herodiani doctrinam. cf. fr.; Suidas s. v. *ἀγλευκές*, quamvis multo uberior Hesychio s. v. *ἀγλευκής*, idem tradit quod Hesychius. cf. fr.

Hesychius non potest hausisse ex Polluce et Athenaeo, quamvis habeat complures glossas, quarum illi mentionem faciunt; nam multae in eius libro insunt, quarum illi nescii.

Athenaeus ipse se Diodori *Γλώσσας Ἰταλικάς* usurpasse commemorat XI, 479a; itaque ceteras quoque glossas Italicas inde fluxisse nemo non videt. Pollucem quoque et Hesychium Diodori glossis usos esse, supra adnotavimus.

menta Rhinthonica una cum quaestione editurum esse promisit.

Comoediae Rhinthonicae fragmenta.

Orestes.

1.

Hephaestio I, 6 (ed. Westphal. I, 11 ed. Gaisf.) Ῥίνθων μὲν γὰρ καὶ ἐν ἰάμβῳ ἐπισημασίας ἠξίωσε τὸ τοιοῦτον· ἐν γὰρ Ὀρέστῃ δράματί φησιν

ὡς σὲ Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη
Ἱππώνακτος τὸ μέτρον· οὐδέν μοι μέλει.

Exscripsit hunc locum Georgius Choeroboscus 553, 22. Ἄλλως τε δὲ πολλάκις εὑρίσκονται καὶ ἐν τοῖς μέτροις ἀποτελοῦντα τὴν κοινὴν συλλαβὴν τὸ ΚΤ καὶ ΠΤ ὡς . . . . . . τὸ δὲ ΚΤ ὡς παρὰ Ῥίνθωνι

Ἱππώνακτος τὸ μέτρον· οὐδέν μοι μέλει.

Quis sensus insit in his verbis Rhinthonis, accurate pag. 17 sq. et 28 sq. diss. nostrae exposuimus. — Hephaestio agit de ea re, quae ἐπισημασία dicitur a scriptoribus rei metricae; fit autem ἐπισημασία, si syllaba positione longa corripitur: apud Rhinthonem in vocabulo Ἱππώνακτος, i. e. in nomine proprio, ubi maiore libertate utitur metrum. Priorem versum Hipponacteum esse ipse profitetur poeta; versus autem Hipponacteus vel σκάζων habet trochaeum pro iambo in pede ultimo. cf. pag. 29.

Meleager servus.

Iobates.

2. 3.

Herod. π. μ. λ. 19, 26. Ὀλίγος· οὐδὲν εἰς γος ὑπὲρ δύο συλλαβὰς τῷ ι παραλήγεται καὶ παροξύνεται, ἀλλὰ μόνον τὸ ὀλίγος· μήτι οὖν Ταραντῖνοι χωρὶς τοῦ γ προφερόμενοι τὴν λέξιν ἀναλογώτερον ἀποφαίνονται ὥσπερ Ῥίνθων ἐν δούλῳ Μελεάγρῳ

Et. M. 621, 52. Ὀλίος· κατὰ διάλεκτον· Ταραντῖνοι γὰρ τὸ ὀλίγος ὀλίος λέγουσιν ἄνευ τοῦ γ ἐν δούλῳ Μελεάγρῳ

ὀλίοισιν ὑμῶν ἐμπέφυκ' εὐψυχία

καὶ ἐν Ἰοβάτῃ

χρήζω γὰρ ὀλίον μισθὸν αὐτὸς λαμβάνειν.

εὐψυχία] *εὐτυχία* cod., quod contra metrum. coniectura est Gaisfordii, quae mihi magis probatur, quam altera ab eodem viro docto proposita *ἐμπέφυκεν εὐτυχία*, quia tribrachys pro iambo in fine raro admittitur. *Ἰοβάτῃ*] ex conj.; cod. *Εὐνιοβάταις*.

ὀλίοισιν ὑμῶν ἐμπέφυκ' εὐψυχία

καὶ

ὀλίον μισθόν.

ὑμῶν] *ἡμῶν* cod. Emendatum ex Herodiano.

Diserte ex hoc loco Rhinthonem Tarentina dialecto usum esse apparet. Sensus utriusque versus per se patet.

Iphigenia Aulidea.

4. 5. 6.

Poll. Onom. VII, 90: *Ῥίνθων δὲ* (scil. *μέμνηται*) *Κολοφωνίου τε καὶ καλτίου καὶ ὁρμοῦ ἐν Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι.*

Hes. s. v. *Κολοφώνια· ὑποδήματα κοῖλα κτλ.*

Hes. s. v. *κάλτιοι· ὑποδήματα κοῖλα ἐν οἷς ἱππεύουσι.*

Hes. s. v. *ὁρμοί· οἱ τῶν ὑποδημάτων ἱμάντες.*

κάλτιοι] emendavi ex Pollucis loco; cf. Latinum calceus. cod. *κάλτοι.*

ὁρμοῦ] emend. cod. *ὄγκου;* vide infra.

Ὑποδημάτων εἴδη secundum Poll. VII, 85 ante oculos habes; ab Hesychio docemur *Κολοφώνια* et *καλτίους* ei generi *ὑποδημάτων* attribuenda esse, quae *κοῖλα* vocantur; quid sint *ὑ. κ.* ipse Pollux explicat, cum dicit (VII, 84) *λέγοιτο δ' ἂν καὶ ὑποδήματα κοῖλα, βαθέα, εἰς μέσην κνήμην ἀνήκοντα.* Distinguitur hoc pedis tegumentum ab usitato Graecorum, quod solea vel sandalio tantum constabat. *Κολοφώνια* (sc. *ὑποδήματα*) ab origine nomen duxerunt; *κάλτιοι* nihil aliud nisi Romanorum calcei. Una cum calceis nomen quoque in usum receperunt Magnae Graeciae gentes.[38]) — Vocabulum, quod

[38]) In equitando Tarentini calceis utebantur; celeberrima eorum ars equitandi; in eadem arte Colophonii quoque excellebant (inde pro-

sequitur apud Pollucem, *ὄγκου* mendosum est. Nam quid *ὄγκος*? dubium esse non potest, quin in hoc quoque vocabulo *ὑπόδημα* vel tale aliquid lateat; in ipso vocabulo talis significatio non inest, nec inde elici potest. Scripsi igitur *ὁρμοῦ*, quod secundum Hesychii glossam, quam nunc Rhinthoni vindico, lorum illud significat, quo calceus in pede vinciebatur. Quod optime ad nostrum locum quadrat: iuxta calceum lorum habes.

Rhinthonis Iphigenia Aulidea aeque ac Taurica sine dubio ex Euripidis Iphigeniis detorta erat.

Iphigenia Taurica.

7.

Poll. VII, 61: *καὶ αὐτὸς δὲ ὁ φαινόλης ἔστιν ἐν Ῥίνθωνος Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Ταύροις·*

ἔχωσα καινὸν φαινόλαν κἀπαρτίαν.

Hes. s. v. *φαινόλας· τὸ ὕφασμα οὕτως 'ἔχωσα καινὸν φαινόλαν'.*

Suid. s. v. *φαινόλης· χιτωνίσκος. οἱ δὲ παλαιοὶ ἐφεστρίδα (καὶ κλίνεται εἰς ου).*

Zonaras *φαινόλης· χιτὼν ἱερατικός· οἱ δὲ παλαιοὶ ἐφεστρίδα.*

ἔχωσα] *ἐχούσῃ* cod. opt.; Bekker correxit ex Hesychio.

καινὸν] *καινὰν* cod.; corr. Salmasius, cui non assentitur Bekker; ego hanc coniecturam recipiendam esse puto; masculinum enim indicatur praefictis verbis *αὐτὸς δὲ ὁ φαινόλης*. *φαινόλαν* autem forma Dorica est, quam non potes non inserere, cum praecedat *ἔχωσα*, quod idem Doricum. Itaque Hesychii locum eundem in modum redegi, ut scriberem *φαινόλας* pro tradito *φαινόλα*, quod vel accentus requirit. — Num *κἀπαρτίαν*, coniectura viri docti Meineke, rectum sit, non diiudicaverim; traditum *κἀπαρτίῳ* sensu caret.

De sententia versus disputavi pag. 29 sq. De eo vesti-

---

verbium natum est *Κολοφῶνα ἐπιτιθέναι* i. e. rem aliquam ad finem perducere). Quid mirum, quod Tarentini a Colophoniis *ὑποδήματα Κολοφώνια* mutuati sunt?

mento, quod *φαινόλης* vocatur, pauca addenda sunt. Apud Graecos *φαινόλης* non erat certum genus vestimenti, sed qualecunque *ἐπίβλημα* insigne hoc nomine significabatur. Ex quo vero in Romanorum consuetudinem et usum abiit, paenula certum genus erat vestimenti hiberni.

Telephus.

8.

Poll. X, 35: *Ἐν δὲ τῇ Κρίτωνος Μεσσηνίᾳ καὶ τῷ Ῥίνθωνος Τηλέφῳ καὶ κράββατον εἰρῆσθαι λέγουσιν. ἐγὼ δὲ οὐκ ἐντετύχηκα τοῖς δράμασιν.*

κράββατος vel *κράβατος* lectulus est *εὐτελής*, apud Atticos *σκίμπους;* vox est Macedonica. Recurrit apud Suidam s. v. *ἄσκαντος*. Apud Latinos abiit in 'grabatus' atque frequens eius usus.

Concedit hoc loco Pollux, se non legisse Telephum Rhinthonicum.

Amphitruo.

9.

Athen. III, 111: *πανός, ἄρτος Μεσσάπιοι. καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν, καὶ πάνια τὰ πλήσμια Βλαῖσος ἐν Μεσοτρίβᾳ καὶ Δεινόλοχος ἐν Τηλέφῳ Ῥίνθων τε ἐν Ἀμφιτρύονι.*

Hes. s. v. *πάνεια· κεχορτασμένα*

In '*πανός*' verbisque derivatis eadem radix apparet, quae in Latinorum 'panis'.

Ampliora de Rhinthonis Amphitruone ex pictura vasculari discimus, de qua disputavi supra pag. 19—21.

κεχορτασμένα] Sopingus; cod. *κεχορτασμένη*.

Hercules.

10.

Athen. XI, 500 f. *Ἱστιακκόν· ποτήριον ποιόν· Ῥίνθων ἐν Ἡρακλεῖ*

. . . .

ἐν ὑστιάκκῳ τε καθαρὸν ἐλατῆρ' [ἐμὶν]
καθαρῶν τ' ἀλήτων κἀλφίτων ἀπεῤῥόφεις

. . . .

Hes. s. v. *ὑστιακκός· ποτήριον ποιόν. Ἰταλιῶται.*

ὑστιακκόν] *ὑστιακόν* cod.; inserui ex Hesychio quod metrum requirit. Metrum prioris versus sic constituendum est

⏑ ' ⏑ – | ‥ ⏑⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑⏑ | ⏑ ' ⏑ ‥

Deest una syllaba iambi; itaque quod Dobraeus supplevit *ἀλφίτων* contra metrum pugnat. Conqueritur his duobus versibus aut Hercules, quod alius, aut homo quidam, quod Hercules sibi vinum et cibos devoravit: *ἀποῤῥοφέω* aeque usurpatur de edendo ac bibendo. Locus nec per se intellegi potest, nec integer est. Verba *ἐν ὑστιάκκῳ* desiderant vini mentionem, itemque coniunctio *τε* desiderat notionem quam coniungat cum verbis insequentibus. Genetivus *καθαρῶν τ' ἀλήτων κἀλφίτων* desiderat vocabulum, unde pendeat, mensuram quandam significans. Sed neutrum inesse poterat in lacuna, quam inserte voce *ἐμὶν* explevi, cum desiderem, eum significari, cui res enumeratae ablatae sint. De forma *ἐμίν* cf. infra.

Medea.

11.

Hes. s. v. *Κωμάκτωρ· ἡ λέξις παρὰ Ῥίνθωνι ἐν Μηδείᾳ.*

Κωμάκτωρ] *Κομάκτωρ* cod. Ex coniectura mea. Derivo vocabulum a verbo *κωμάζω,* quod Doride dialecto habet radicem *κωμακ* (fut. *κωμαξῶ*); *Κωμάκτωρ* autem respondet voci *κωμάστωρ* servatae in Syncelli excerptis Manethonis 4, 493. Significat glossa *κωμάκτωρ* idem quod *κωμαστής*: aut hominem comastam Bacchanalium participem, aut ipsum deum Bacchanalia agentem.

Antigona.

12.

Huius fabulae Rhinthonicae in litterarum monumentis mentio non fit; sed in vase picto, quod apud Wieselerum in libro qui inscribitur 'Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens' tab. IX, 7 exstat, scaenam huius hilarotragoediae agnoscere supra pag. 21—23 nobis visi sumus.

13.

Ciceronis ep. ad Att. I, 20, 3. Nam, ut ait Rhinthon, ut opinor

Οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.[39])

Rhinthonis nomen a tradito 'phinton' emendatum est. Verba autem ipsa quasi in proverbium abiisse videntur, cuius sensus est hic:

Sunt et qui nihili sint, et quorum nihil intersit.

14.

Apoll. Dyscolus *περὶ ἀντωνυμίας* (de pronom.)

pag. 355 B. *ἡ μέντοι ἐμεῖο* (cod. *ἔμειο*) *καὶ ἔτι ἐμείω καὶ ἔτι σὺν τῷ σ ἐμείως καὶ ἐμῶς* (cod. *ἔμως*) *δισυλλάβως παρὰ Ῥίνθωνι.*

pag. 356 B. *καὶ ἔτι, τίος· ἡ μέντοι τίω καὶ τίως συζυγοῦσαι τῇ ἐμίω καὶ ἐμίως*[40]) *πάλιν παρὰ τῷ αὐτῷ Ῥίνθωνι εἴρηνται.*

pag. 364 C. *ἡ ἐμίνη συνήθης Ταραντίνοις· ἡ δὲ χρῆσις παρὰ Ῥίνθωνι.*

pag. 365 C. *σύζυγος τῇ ἐμίνῃ ἡ τίνη, ἥ ἐστι παρὰ Ταραντίνοις·*

Apoll. de coniunct. 524, 4 *ἀπὸ τοῦ ἐγών τὸ ἐγώνη παρὰ Ταραντίνοις.*

Idem praeterea has formas Doricas enumerat, quas Tarentinas fuisse aut constat aut certe concludendum est: *ἐγών, ἐγώνη, ἐμίν τίν, τύνη, ἐμίνη, τίνη.*

Ex eodem fonte fluxerunt E. M. s. v. *Δωριέων διάλεκτός ἐστιν ἡ προσλαμβάνουσα τὸ ν. καὶ τὴν σύ ἀντωνυμίαν τύν λέγουσι μετὰ τοῦ ν. ὅπερ προςθέσει τοῦ η γίνεται τύνη....*

---

[39]) Composui olim cum hoc Rhinthonis fragmento Varronis de re rustica (III, 3, 9) locum, fere verbo tenus a Columella (VIII, 16, 9), exscriptum, ubi Rhinthonis nomen in editionibus exstat. Rhinthonis autem nomen non ex libris manuscriptis sed arbitrio et coniectura eorum, qui ediderunt, natum est; atque in scriptura tradita non offendendum esse Henricus Keilius in progr. univ. Halensis (1884) demonstravit.

[40]) *ἐμίω* et *ἐμίως* pro tradito *ἐμέω* et *ἐμέως* scribendum esse proposuit atque mihi persuasit Ahrens de dial. Dor. pag. 249, adn. 9.

καὶ γάρ εἰσιν ἀντωνυμίαι κατ' ἔκτασιν γινόμεναι. παρὰ γὰρ ἐγών ἐγώνη καὶ παρὰ τὴν ἐμίν ἐμίνη. τίν· τίνη. οὕτω καὶ τὸ τύνη κατ' ἐπέκτασιν τῆς νη συλλαβῆς et Hesychii glossae *ἐγώνη, ἐμίο, ἐμίν, τίω, τίν, ϝίο, ϝίν.*

Has igitur formas pronominis personalis apud Tarentinos in usu fuisse videntur:

	Nominativus	Genetivus	Dativus
pers. I	ἐγών, ἐγώνη	a) ἐμεῖο, ἐμείω, ἐμίο, ἐμίω b) ἐμείως, ἐμίως, ἐμῶς	ἐμίν, ἐμίνγα, ἐμίνη
pers. II	τύν, τύνη	a) τίω b) τίως	τίν, τίνη
pers. III		ϝίο	ϝίν

Pronominis pers. I et II nominativum *ἐγών* et *τύν* in *ν* exire non mirum est, cum *ἐγών* ex Homero, Epicharmo, Sophrone, Aristophane satis notum sit. Formae autem *ἐγώνη* et *τύνη* cum *ἐμίνη* et *τίνη* comparandae sunt. Litera *η* autem in his pronominibus nata esse videtur ex suffixo *γα*, quod apud Tarentinos in *ἐμίνγα* extat, praeterea in *ἐγώνγα, ἰώνγα, ἰώγα, τούγα*[41]), quae formae cum *ἔμοιγε, ἔγωγε, σύγε* comparandae sunt.

Genetivus duplex est; alterius *ἐμέσιο* tamquam formam primariam G. Meyer supponit unde derivatum est *ἐμεῖο* et *ἐμίο*, a quibus *ἐμείω* et *ἐμίω* scriptura tantum differunt. — Alter genetivus tantum in dialecto Boeotica et Dorica traditus est; differt ab altero adiecta littera *σ*. Tamquam formam primariam Meyerus *ιος* proponit.

In tertiae personae pronomine littera *γ*, quae extat in Hesychii codice, ut saepius, litteram vau significare Ahrens de dial. Dor. pag. 53 demonstravit.[42])

[41]) Cf. Gust. Meyer, Griech. Grammatik § 406—7. Ahrens de dial. Dor. § 32. *ἐμίνγα* Tarentinis assignatur in Ann. Ox. I, 285, 6 (*ἡ ἐμὶν Δωριέων, ἡ ἐμίνγα Ταραντίνων*).

[42]) Eodem pertinere mihi videtur Hesychii glossa *γολύριον· κέλυφος. οἰκεῖον Ταραντίνοις.* Est autem *γολύριον* derivatum a vocabulo *ὄλυρα* quod Hesychius explicat *εἶδος σπέρματος· ἢ βρῶμά τι μεταξὺ σίτου καὶ κριθῆς. οἱ δὲ αὐτὴν τὴν κριθήν. ἄλλοι καρπόν τινα σιτικόν*

15.

Herodian. π. μ. λ. 19, 23 (περὶ καθ. προσ. 401, 17 in ed. Lentzii). *Τὰ εἰς ης ἐκεῖνον ἔχει τὸν τόνον, ὁποῖον καὶ τὰ πρωτότυπα, μὴν μής, δαίς δής, παῖς πῆς, εἷς ἧς. παρὰ γὰρ Ῥίνθωνι ʽοὐδ' ἧς κύων'*

cf. Epim. Crameri (Anecd. Oxon.) I, 171, 20.

φυλάττουσι τοῦ εἷς τὴν δίφθογγον καὶ Αἰολεῖς καὶ Δωριέων οἱ παλαιότεροι· παρὰ γὰρ Ῥίνθωνι ἐτράπη·

οὐδ' ἧς κύων·

ἀντὶ τοῦ οὐδὲ εἷς

Spectant haec vocabula in η sine dubio ad Tarentinorum dialectum. Simile aliquid inveni in Crameri anecd. Paris. (vol. III, pag. 321, 25.): *ἀεὶ] . . . ἔστι δὲ καὶ ἠίον παρὰ τοῖς Βοιωτοῖς διὰ τοῦ η και ι, καὶ αἰὴ παρὰ Ταραντινοῖς διὰ τῆς αι διφθόγγου καὶ τοῦ η· οἱ δὲ Ταραντινοὶ ἄποικοι εἰσὶ τῶν Δωριέων.*

16.

Hesych. s. v. *ἀγλευκής· ἀηδής·* Radix γλυκ. Glossam esse Siculam a Rhinthone usitatam Suidas s. v. *ἀγλευκές* testatur *ʽτὸ ἀηδές· δοκεῖ δὲ ξενικὸν τὸ ὄνομα Σικελικόν. πολὺ γοῦν ἐστι πάνυ παρὰ Ῥίνθωνι'.*

Suidae verba fluxerunt sine dubio ex Hesychio nondum epitomato.

Bernhardy in Addendis ad Suidae editionem (pag. 1767, tom. II, pag. II) illud *Σικελικόν* spectare monet ad Epicharmum in Hom. Epimer. pag. 85 *ἀγλευκές ἐστ' ἄνθρωπος.*

Atque de nostro valet, quod de Aeschylo professus est Athenaeus (402 b.) *ὅτι δὲ Α. διατρίψας ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς σικελικαῖς οὐδὲν θαυμαστόν.*

17.

Hesych. s. v.

Ἄψεκτος· ἀγαθός παρὰ Ῥίνθωνι Ταραντίνῳ φιλοσόφῳ.

ἄψεκτος] ex conj. Sopingus. cod. *ἄσεκτος.*

ζείαν. τινὲς ζέαν. ὄλυρα est frumenti genus quoddam; *ὀλύριον* deminutivum aut folliculum significat frumenti aut ipsum quoque frumentum.

De vocabulo *φιλοσόφῳ*, quod servare non dubito, conferas quae pag. 3 disserui.

18.

(1) Hes. s. v. *Βρυδαλίχα· πρόσωπον γυναικεῖον παρὰ τὸ γελοῖον καὶ αἰσχρὸν ὀρ̈ρτίθεται ὀρίνθω τὴν ὀρχίστραν καὶ γυναίκ . . . ἱμάτια ἐνδέδυται ὅθεν καὶ τὰς μαχρὰς βρυδαλίχας καλοῦσι Λάκωνες.*

Ad locum supplendum conferenda sunt, et contulit Hesychii editor, quae paullo post ab eodem Hesychio traduntur (2) s. v. *βρυλλοχισταί οἱ αἰσχρὰ προσωπεῖα περιτιθέμενοι γυναικεῖα καὶ ὕμνους ᾄδοντες·*

Nec non s. v. (3) *βυλλίχαι· χοροί τινες ὀρχηστῶν παρὰ Λάκωσι.*

(4) *βυλλίχης· χορευτής*

(5) *βυλλιχίδες· ῥαχίδες (βακχιάδες).*

Eodem pertinere videtur Pollux IV, 104:

(6) *ἦν δέ τινα καὶ Λακωνικὰ ὀρχήματα καὶ βρυάλιχα, τὸ μὲν εὕρημα Βρυαλίχου, προσωρχοῦντο δὲ γυναῖκες Ἀρτέμιδι καὶ Ἀπόλλωνι.*

Feliciter viam emendandi Hesychii editor ingressus est. *ὀρ̈ρτίθεται* sine dubio *περιτίθεται*, ut locus parallelus (2) demonstrat. — *παρὰ τὸ* uncinis includendum est cum ad insequens *ὀρίνθω* pertineat, quocum etiam *ὀρχίστραν* coniungo. Quomodo autem factum sit, ut *παρὰ τὸ* falsum in locum aberraret, ita fere explicari poterit:

Βρυδαλιχαπροσωπονγυναικειον παρα το
γελοιονκαιαισχρονορρτιθεται ρινθων

Usque ad verbum *γυναικειον* habes viginti septem litteras; totidem a voce *γελοιον* usque ad *ορρτιθεται*. Itaque non dubium est, quin in codice archetypo *παρὰ τῷ Ῥίνθωνι* in margine adscriptum fuerit, unde librarii errore in contextum aberravit; atque mea quidem sententia vocabula *τὴν ὀρχίστραν* eodem modo falsum in locum pervenerunt; turbatur enim iis conexus.

Itaque hunc in modum locum emendandum esse puto.

Βρυαλίχα· πρόσωπον γυναικεῖον γελοῖον καὶ αἰσχρὸν περιτίθεται καὶ γυναικεῖα ἱμάτια ἐνδέδυται, ὅθεν καὶ τὰς μαχλὰς βρυαλίχας καλοῦσι Λάκωνες·

Notam marginalem in fine pono: *παρὰ τῷ Ῥίνθωνι τὴν ὀρχηστρίαν.*[43])

Βρυαλίχα] ex Polluce; qui meliorem scripturam praebet quam Hesychii codex corruptissimus.

μαχλὰς] ex coniectura mea; cod. *μαχρὰς* quod sensu caret. *μαχλαί* autem hetaerae.

ὀρχήστριαν] ex coni. mea; cod. *ὀρχίστραν·* de saltatrice cogitari posse loci 3. 4. 6. docent. Patet iam ceterorum quoque locorum medela:

(3) *βρυαλίχαι· χοροί τινες ὀρχηστῶν παρὰ Λάκωσι.*

(4) *βρυαλίχης· χορευτής*

(5) *βρυαλιχίδες· βακχιάδες.*

19.

Hesych. s. v. *Γαλεοί. μάντεις. οὗτοι κατὰ τὴν Σικελίαν ᾤκησαν. καὶ γένος τι ὥς φησι Φανόδημος καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος.*

γαλεοί pisces sunt apud Rhinthonem, iidem qui apud Romanos squali dicuntur.

20.

Hesych. s. v. *Καλαβρίαν· τὴν Μεσσαπίαν χώραν Ῥίνθων.*

21.

Hesych. s. v. *Κάρκαρα· οὖλα ὁ διήτω· καὶ τὰ ποικίλα τῇ ὄψει, καὶ ἐπιτυρὰ παρὰ Σιμωνίδῃ· ἔνιοι τὰς μάνδρας· Ῥίνθων ταὶ τῇ οὐρανίᾳ ἦρι.* Felix in emendando hoc loco valde corrupto Bernhardyius in adnot. ad Suidam s. v. *Ῥίνθων*: *οὖλα τῶν ὀδόντων. καὶ τὰ ποικίλα τῇ ὄψει. καὶ*

[43]) Hesychii editor hunc in modum locum restituit:

βρυλλιχίδει· πρόσωπον γυναικεῖον περιτίθεται καὶ γυναικεῖα ἱμάτια ἐνδέδυται. ὅθεν καὶ τὰς μαχρὰς βρυλλίχας καλοῦσι Λάκωνες παρὰ τὸ γελοῖον καὶ αἰσχρόν. ὁ Ῥίνθων τὴν ὀρχηστρίαν.

Quomodo hanc verborum seriem natam esse sibi fingat vir doctus non liquet.

ἐπιτυρὰ παρὰ Σιμωνίδῃ. ἔνιοι τὰς μάνδρας· Ῥίνθων καὶ τὴν οὐρανίαν ἶριν.

Nobis tantum de extrema vocabuli κάρκαρα explicatione agendum est; quod coniecit Bernhardyius Ῥίνθων καὶ τὴν οὐρανίαν ἶριν non solum proxime ad ea quae tradita sunt accedit, sed etiam ad alteram explicationem τὰ ποικίλα τῇ ὄψει optime convenit, nam ἶρις est ποικίλη τῇ ὄψει. Itaque hanc coniecturam certam dicere non dubito.

* 22.

Hesych. s. v. λόνδις· βωμολόχος, εἴρων.

Glossa barbara admodum mihi videtur esse, neque scio cur Rhinthoni tribuatur ab Hesychii editore; neque lucem affert Pollux VI, 122 Κόλαξ, βωμολόχος εἴρων.[44])

23.

Hesych. s. v. περάγην· διέρρωγα Ῥίνθων. e coni. Meineke Philolog. XIII, pag. 513.

24.

Hes. s. v. σάλῳ· ἀρκεῖ παρὰ Ῥίνθωνι.
σαλιᾷ· ἀρκεῖ.

Unam glossam habemus!

Valde arridet mihi Bernhardyi coniectura ad hunc locum, quam ad Suidam s. v. Ῥίνθων proposuit: Σαλίᾳ· ἀρκύι παρὰ Ῥίνθωνι profectus ab altera Hesychii glossa Σαλία· πλέγμα καλάθῳ ὅμοιον ὃ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φοροῦσιν αἱ Λάκαιναι.

25.

Hesych. s. v. σάννορος· μωρὸς παρὰ Ῥίνθωνι Ταραντίνῳ.

Photius σάννὰν (sic) τὸν μῶρον; Porsonus editor σαννὰν compendium esse pro σάννον (ου) opinatur. Photius glossam Cratino tribuit, unde nostro quoque loco pro Ταραντίνῳ Sopingus Κρατίνῳ coniecit; non opus esse coniectura equidem censeo.

Lobeck Proll. pag. 271 inde suo iure Σαννυρίων deducit.

Huc quoque pertinere opinor Latinorum ʻsanna, sannio, sannariʼ.

---

[44]) Asterisco notavi hanc glossam, quia spuria videtur esse.

26.

Hesych. s. v. *σαπύλλειν· σαίνειν Ῥίνθων.* *σαπυλλεῖν* cod.; accentum correxit Albertus. Fortasse huc pertinet altera glossa: *ἀπυλλέτω· αἰνείσθω.*

27.

Hesych. s. v. *σάρματα· καλλύσματα. καὶ κόπρια παρὰ Ῥίνθωνι.*

Adnotavit editor: *κόπρια* sunt *σαρώματα, κορεῖαι* vero *σάρματα.* Errat vir ille doctus: utrumque vocabulum et *σάρματα* et *σαρώματα* significat *κόπρια;* alterum derivatur ab *σαίρω,* ab *σαρόω* alterum: *σαρόω* autem a *σαίρω* derivatum est. Itaque nihil mutandum est.

28.

Hesych. s. v. *τροχαῖα· μέσα ἐν κύβοις· ἡ ὁδὸς ὡς Ῥίνθων.*

Adnotavit editor: 'Confundi videntur *τρυχαῖα* et *τροχαία,* nisi forte Rhintho *τροχιά* dixerat, quod Herod. epim. p. 136, 1 explicat *ἡ ἁμαξικὴ ὁδός.*'

29.

Hesych. s. v. *ὑδράν· εἰς θυσίαν ἀκραιφνές· Ῥίνθων.*

Glossa explicatur: ad sacrificium merum; pertinet fortasse ad eum Graecorum morem, ut in sacrificiis merum vinum libarent. Itaque hoc in archetypo fuisse conicio

αν
υδρος εἰς θυσίαν ἀκραιφνές·

i. e. *ἄνυδρος* (scil. *οἶνος*) *εἰς θυσίαν ἀκραιφνές,* librarium autem propter similitudinem syllabarum *ος* et *εἰς,* quae sese excipiunt, priorem omisisse.

30.

Georg. Choerob. 181, 28 (ed. Gaisford) et 211, 12. *Τινὲς δὲ καὶ τὴν Διὸς γενικὴν ἀπὸ τῆς Δὶς εὐθείας θέλουσι λέγειν τῆς εἰρημένης παρὰ Ῥίνθωνι κτλ.*

Usurpasse Rhinthonem nominativum *Δίς* pro usitato *Ζεύς* testis Choeroboscus.

Haec sunt ea fragmenta, quae Rhinthonis nomine adiecto feruntur; non dubitandum est, quin glossarum Tarentinarum, quae apud Hesychium potissimum servatae sunt, multae ad nostrum referendae sint, maxime eae, quae Siculae et Tarentinae simul dicuntur. Sed cum certa indicia desint, in iis acquiescendum est, quas supra composui.

Addenda.

Ad pag. 37. Meinecke Orestis Rhinthonici versus ab Hephaest. I, 6 servatos hunc in modum in personas distribuendos esse coniecit:

A. *ὁ δὲ Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη σ'*

B. *Ἱππώνακτος τὸ μέτρον.* A. *οὐδέν μοι μέλει.*

Atque hanc distributionem quidem comprobandam esse censeo. Sed elisio talis, qualem v. d. in voce *σ'* proponit, in fine iambici senarii admitti non potest, cum insequens versus ab altera persona pronuntiatur. Praeterea cum de fide librorum manuscriptorum parum constet, nec de scriptura *ὁ δὲ,* quam idem Meinecke in priore versu proposuit, nec de coniectura *ἴθ' Ἱπποάνακτος,* quam Carolus Denig in progr. gymnasii Bensheimiensis (1886) pag. 17 protulit, iam diiudicari posse videtur.



Vita.

Natus sum Ericus Otto Völker pridie Kal. Febr. a. h. s. LXII Stetini patre Augusto mercatore, quem ante hos duodecim annos praematura morte mihi ereptum esse lugeo, matre Paulina e gente Kann, qua superstite gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Urbis patriae illustris gymnasii Mariae disciplina per novem annos usus autumno anni LXXIX maturitatis testimonio instructus, ut philologiae operam darem, primum universitatem Berolinensem adii. Sex mensibus post ad almam Pommeraniae litterarum sedem me contuli, ubi biennium commoratus sum. Tum Kiliam migravi, cuius academiae per quinque semestria civis fui.

Docuerunt me viri clarissimi Kirchhoff, Vahlen, Curtius, Paulsen, Robert Berolinenses; de Wilamowitz-Moellendorff, Kiessling, Susemihl, Preuner, Seeck Gryphiswaldenses; Forchhammer, Foerster, Leo, Erdmann, Möller, Klostermann Kilienses. — De Wilamowitzii Kiesslingii Forchhammeri Foersteri benevolentia mihi contigit, ut seminarii regii philologici Gryphiswaldensis per sex menses, Kiliensis per annum sodalis essem ordinarius. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologicis Leo, archaeologicis Preuner, epigraphicis de Wilamowitz Seeck, philosophicis Susemihl.

Mense Februario anni LXXXV Kiliae examen pro facultate docendi sustinui; insequenti anno in urbe patria stipendia feci. Ibidem inde a vere anni LXXXVI per novem menses candidatus probandus fui; ab initio vero huius anni sodalis sum seminarii paedagogici cum gymnasio Mariae Stetinensi coniuncti.

Omnibus autem viris, quorum disciplina usus sum, imprimis de Wilamowitzio gratiam semper habebo quam maximam.

Druck von Hesse & Becker in Leipzig.

Bücher-Versandgeschäft von **Gustav Fock** in **Leipzig.**

Besonderer Beachtung empfohlen!

Geschichte der deutschen Litteratur

von ihren Anfängen bis auf die neueste Zeit (1884)

von **Dr. Franz Hirsch**

(Redakteur von „Schorers Familienblatt").

3 starke Bände Gross-Oktav. Ladenpreis 24 Mark, **für nur 12 Mark, in 3 eleg. Leinenbänden 15 Mark.**

Die Litteraturgeschichte von Dr. Franz Hirsch nimmt neben unsern besten Werken über deutsches Schrifttum eine vollberechtigte, eigenartige Stellung ein, übertrifft aber viele derselben durch die Wärme der Empfindung und das feine Verständnis, mit denen sich der Verfasser, selbst ein hochbegabter Dichter, seiner Aufgabe gewidmet hat; als weiterer besonderer Vorzug gesellt sich hierzu die dauernde Berücksichtigung der Kulturgeschichte. Überdies machen der elegante Stil des Verfassers sowie die zahlreichen beigefügten Proben und Auszüge die Lektüre des Werkes zu einer wirklich genussreichen und anregenden, im Gegensatz zu manchen andern Werken dieser Art, die durch ihre trockne Wissenschaftlichkeit das Studium der Litteraturgeschichte nur zu bald verleiden.

Das **„Centralorgan für die Interessen des Realschulwesens"**, 1886, Nr. 34/35, schreibt hierüber:

„. . . sie hat es bis zum Schluss verstanden, einen gewissen Humor, der die böse Langeweile des der Natur der Sache nach bisweilen trocknen Stoffes fern hält, zu verbinden mit einer Gründlichkeit, der man nirgends die vollste Anerkennung versagen wird. Es dürfte die erste deutsche Litteraturgeschichte sein, die ihrer Behandlung und ihrem Charakter nach Aussicht hat, in das Volk zu dringen, das Volk zum Verständnis seiner Geistesdenkmale zu führen, also das höchste Ziel zu erreichen, das ein Buch überhaupt sich stecken kann."

Ferner das **„Berliner Fremdenblatt"**, 1884, Nr. 205:

„. . . Ein vortreffliches, gründliches, echt deutsches und wunderschön geschriebenes Werk, dabei selbständig und von Kapitel zu Kapitel immer anregender, so dass man die Seiten durchfliegt wie einen interessanten Roman".

Die **„Schlesische Zeitung"**, 1885, vom 30. Dezember:

„Es ist ein grosses geistiges Kapital, eine unendliche, mühevolle Arbeit, eine schöne stilistische und poetische Begabung in dem Werk angehäuft".

Die **„Preussische Schulzeitung"**, 1884, Nr. 13, schreibt:

„Der deutschen Litteraturanschauung werden hier so viele neue Gesichtspunkte eröffnet, und der Verfasser weiss seine Leser durch geschickte Verarbeitung des alten und unermüdliches Herbeibringen überraschenden neuen Materials so andauernd zu fesseln und anzuregen, dass das Werk einen höchst originellen und litterarisch vornehmen Charakter erhält".

Druck von Hesse & Becker in Leipzig

